

CHRONIQUE DE LA CHARTREUSE DE LOUVAIN DEPUIS  
SA FONDATION, EN 1498, JUSQU'À L'ANNÉE 1525.

Cette *Chronique*, que nous publions d'après le manuscrit n° 15043 de la Bibliothèque royale de Bruxelles, renferme les détails les plus circonstanciés sur la fondation et les premiers développements de la Chartreuse de Louvain. Molanus, qui, dans son *Historia rerum Lovaniensium*, I, pp. 295-308, s'étend très longuement sur l'histoire de la Chartreuse, a, sans aucun doute, eu ce travail sous les yeux; car souvent il lui emprunte non-seulement les faits, mais les expressions et des phrases entières.

Jean Vekestyl, surnommé aussi *Blauwen Steen*, parce que la maison de ses parents portait l'enseigne de la *Pierre Bleue*, est l'auteur de cette *Chronique*, attribuée erronément au Chartreux Dorlandus par le *Répertoire onomastique des manuscrits de la Bibliothèque royale de Bruxelles*, sans doute parce qu'elle est reliée, dans un même volume, avec quelques opuscules de cet écrivain. Vekestyl naquit à Louvain et fit sa profession religieuse à la Chartreuse d'Anvers. Envoyé, au mois d'octobre 1491, dans sa ville natale avec un autre religieux et un frère convers pour organiser la Chartreuse qu'on venait d'y fonder, il fut, pendant quelque temps, le vicaire ou procureur de cet établissement naissant. La *Chronique* que nous publions fut écrite successivement par parties, et non pas d'un seul jet; en effet, l'auteur y parle souvent au commencement de choses devant en-

core se faire, que plus tard il annote comme accomplies<sup>1</sup>.

Dans son travail, Vekestyl raconte d'abord, avec beaucoup de détails et dans un style très naïf, l'origine de la Chartreuse de Louvain ainsi que la fondation des premières cellules; et il intercale dans son récit plusieurs faits arrivés à Louvain n'ayant absolument aucun rapport avec le sujet qu'il traite. Dans la seconde partie de son travail, il dispose les faits année par année, selon l'ordre chronologique, en commençant par l'année 1494, et reprend sommairement plusieurs des faits déjà mentionnés précédemment.

La copie de ce document si important pour l'histoire ecclésiastique de la ville de Louvain a été faite par M. l'abbé Tielemans, vicaire de Sainte-Marie, à Schaerbeek lez Bruxelles, auquel nous témoignons ici publiquement notre reconnaissance pour sa bienveillante collaboration.

On peut consulter sur l'histoire de la Chartreuse de Louvain : 1° MOLANUS, *Historia rerum Lovaniensium*, I, pp. 295-308; et 2° VAN EVEN, *Louvain monumental*, p. 256.

E. R.

<sup>1</sup>) On pourra se convaincre de la vérité de notre assertion en comparant ce qui est dit de la construction de la cellule de Marguerite d'York : « Speramus quod cella estate futura perficietur » (p. 238) et : « Circa idem tempus completa fuit cella cum ambitu suo » (p. 251).

PREMIÈRE PARTIE DE LA CHRONIQUE.

Erat quidam venerabilis dominus in opido Bruxellensi dictus dominus Walterus Waterleet<sup>1)</sup>, qui quondam fuerat cantor et capellanus illustrissimi ducis Caroli Burgundini. Hic prefatus dominus Walterus salubriter motus, volens saluti anime sue providere, considerans, quod multa beneficia habebat (erat enim prepositus Malbodiensis et scolasticus ecclesie sancte Gudule in Bruxella), voluit, quod illa bona, que ei supererant, redirent ad ecclesiam pro majori parte. Sic, ne mors repentina eum de hac vita raperet hora improvisa, pro eterna vita consequenda, ad quam creati sumus, contulit multa bona diversis monasteriis, et etiam multa distribuit pauperibus in elemosinis, eo quod elemosina liberat a morte, dicente Domino : *Date elemosinam, et omnia munda erunt vobis.*

Preterea notum sit universis Christi fidelibus, quod dominus Walterus Waterlet, prepositus Malbodiensis et scolasticus ecclesie sancte Gudule, emit fundum et curiam quamdam in Lovanio, in parochia sancti Jacobi, circa capellam sancte Crucis, continentem circiter quatuor bonnaria terre cum pomerio, cum terra arabili, cum domibus et horreis, anno Domini millesimo quadringentesimo .....<sup>2)</sup>, et contulit prefatam curiam ordini Carthusiensi, ut ibidem inchoaretur et edificaretur in eodem loco monasterium novum ordinis Carthusiensis. Et commisit administrationem hujus curie domino Henrico de Duvellant, priori domus beate Katherine juxta Antwerpiam, ejusdem ordinis.

Igitur dominus Henricus, prior domus beate Katherine extra Antwerpiam, volens cultum divini honoris augmentare, non

<sup>1)</sup> Une main plus récente a changé *Waterleet* en *Watelet*.

<sup>2)</sup> L'auteur de la *Chronique* a laissé une partie de la date en blanc. Une main postérieure y a ajouté erronément le chiffre 86, car l'acquisition du fonds pour y établir le couvent date de 1488 seulement, et non de 1486. Voyez VAN EVEN, *Louvain monumental*, p. 256.

dormitavit in negotio, sed ferventer executus, non pepercit laboribus nec expensis; sed cum difficultate ingenti impetravit licentiam a duce Philippo secundo, a domino Leodiensi scilicet a domino de Horen. Qui gratiose consensit, ut edificaretur in prefato loco monasterium cum ecclesia, cum cymiterio et campana; de quibus sunt confecte litere, que habentur apud nos. Similiter prefatus dominus Henricus, prior, impetravit ab opido Lovaniensi et a communitate licentiam cum plurimis privilegiis, scilicet ut liberi (*sic*) essent persone in futuro ab assisiis et ab aliis impositionibus et exactionibus, ut expresse habetur in literis inde confectis, que similiter habentur in eodem loco.

Item, idem dominus prior, dominus Henricus prenomatus, impetravit consensum a capitulo sancti Petri, et obtinuit precibus, ut locus, in quo construendum erat monasterium et qui decimalis erat, idem capitulum gratiose quictavit, scilicet quod decime non darentur de cetero a tempore, quo divina ibidem celebrarentur; et quod fratres in die sanctorum apostolorum Petri et Pauli mitterent unum fratrem, qui in summa missa ferret unum argenteum denarium; et in cathedra beati Petri dicerent fratres in summa missa unam collectam. De istis et aliis condicionibus interpositis confecte sunt litere signate cum sigillo capituli sancti Petri et capituli generalis tocius ordinis Cartusiensis; que apud capitulum reservantur. Magnifice agimus gratias prefato capitulo et dominis, quod gratiose egerint nobiscum.

Item, prefatus dominus Henricus, prior, verbum habuit cum domino Reynero, plebano ecclesie sancti Jacobi, quatenus consensum preberet ad construendum prefatum monasterium in parochia sua; sed negocium imperfectum mansit per duos annos. Postea, elapsis duobus annis, primus rector hujus domus concordavit cum plebano certis conditionibus expletis, mediantibus bonis viris et literatis, ut patet in literis inde confectis et sigillatis; que litere apud nos conservantur.

Circa idem tempus erat Antwerpie quidam civis honestus,

dictus Johannes Overhof. Hic tactus devotione et volens in vita sua, dum compos mentis esset, de bonis suis disponere, audit, quod mentio esset de construendo novo monasterio. Unde amore Dei et causa salutis anime, in remedium peccatorum suorum, contulit in promptu sexcentos florenos aureos, nuncupatos Andree florenos, cum quibus empti erant redditus supra terram Arscotensem, scilicet supra villas dictas Rillaer, Landorp, Bedeke<sup>1</sup>, etc., scilicet xxxij floreni aurei pro prefati monasterii necessariis, et quinque floreni supra opidum, et novem supra monasterium sancti Martini.

Item, anno Domini mccccclxxxix ducissa Margareta, quondam uxor domini Caroli, ducis Burgundie, venit ad prefatum locum, et in presentia multorum posuit primum lapidem. Erat ibidem presens villicus Lovaniensis, nobilis dominus Lodowicus Pinnock, et posuit supra lapidem aureum denarium, quem habuit cementarius. Sed propter instantes guerras, que erant in patria, negocium imperfectum fuit; sed, pace reformata in patria, tractatum est, qualiter hoc negocium ad effectum perveniret.

Igitur anno eodem, scilicet mccccclxxxix, erat quidam magister in Lovanio, dictus magister Egidius de Platea, archidiaconus Hanonie. Hic audiens famam de construendo monasterio Carthusiensi, letus effectus est valde. Qui intendebat et nitebatur omnibus modis sibi possibilibus juvamen et adiutorium impendere; diligebat enim viros religiosos et virtuosos. Contigit tandem hunc cadere in infirmitatem, qua etiam exemptus fuit de hac mortali vita. In egritudine igitur positus, legavit bona tribus monasteriis, scilicet monasterio sancte Agnetis in Gandavo, monialibus scilicet ordinis regularium, et monasterio monialium ejusdem ordinis de Sichghene, et novo monasterio fiendo Carthusiensi in Lovanio, ea condicione quod, si istud monasterium Carthusiense non inchoaretur infra

<sup>1</sup>) Bedeke, Betecom,

tempus trium annorum<sup>1</sup>. Timuit enim propter arduitatem negocii, quod non haberet prosperum successum; sed voluntati divine nemo resistere potest; licet haberet in principio difficile principium, per gratiam Dei habebit in futuro meliorem finem. Videntes ergo patres, quod finis annorum appropinquabat, quem posuerat magister Egidius prefatus in testamento, ut bona illa permanerent novo monasterio, cogitaverunt personas mittere, que ibidem residerent et divinum officium inciperent.

Item anno Domini m<sup>o</sup>ccccxcio, circa festum Undecim Millium Virginum, visitatores provintie, scilicet prior Gandavi et pater Henricus, prior domus Antwerpie, prehabito maturo concilio, miserunt duos monachos cum uno donato, scilicet dominum Johannem Scullinc, absolutum a prioratu domus Delphensis et professum Gandavi, et dominum Johannem de Lovanio<sup>2</sup>, professum domus beate Katherine prope Antwerpiam, et donatum, scilicet fratrem Nicolaum, cocum domus Antwerpie. Venerunt igitur Lovanium, et primo intrantes domum Henrici, fratris predicti fratris Johannis, qui morabatur supra forum piscium in *Blavio Lapide*, cum gaudio et ingenti letitia fuerunt recepti; ubi preciosum convivium fuit celebratum, et nocte dormierunt in domo magistri Egidii Fabrii, doctoris sacre pagine, qui pro tunc erat terminarius Lovaniensis ordinis Carmelitarum; qui erat fautor et promotor nove plantationis hujus. In cena venerandus pater Antwerpie contulit domino Johanni Scullinc, rectori nove plantationis, xxv florenos aureos, ut inciperet istud novum monasterium. O quam parvam foundationem habuit domus ista! Altera die accessimus ad locum, ubi construendum esset novum monasterium. Et ibidem morabatur colonus, cum uxore et famulo et ancilla, qui coxerunt nobis escas nostras in coquina

<sup>1</sup>) Cette dernière phrase est restée inachevée.

<sup>2</sup>) Jean Vekestyl, surnommé aussi *Blauwen Steen*, et l'auteur de cette *Chronique*.

eorum cum utensilibus eorum. Nec sedem, nec ollam, in qua coqueremus potagium, minime habuimus. Calefecimus nos in coquina eorum, ubi familia sedebat. Celebravimus missas in hospitali infirmorum, et in capella aliquando sancte Crucis. In die Symonis et Jude cantavimus primam missam supra cistam ligneam, que stetit in aula instar horrei, ubi venti et pluvie vehementes erant, quod non potuimus candelam ardentem tenere. Multam penuriam sustinuimus. Postea pater rector fecit aulam, que ubique aperta erat, claudere et testudinare cum terra argillosa et solarium cum asseribus. Et pro oleo, sale, pane, cervisia et aliis necessariis, exposuit illos xxv florenos. Unde necessitate compulsi, propter penuriam frater Johannes de Lovanio, qui loco procuratoris erat, non pepercit laboribus, currendo per terras versus Mechliniam et Antwerpiam, Bergis et ad alia loca, ubi spes aliqua fuit; et acquisivit denarios a diversis, ita ut aliquantulum melius haberent, dolentes, quod sic conversarentur in una domo, in una coquina, cum colono et uxore et familia ejus, facta conventionem cum colono et uxore, scilicet ut recederent et sibi providerent de alia domo ad manendum, et haberet unam coronam auream et unum modium siliginis. Ecce, cum quanta paupertate domus ista Lovaniensis est inchoata! Frequenter, dum accessuri eramus ad prandium, deerat panis et cervisia; quapropter multe notabiles persone invitaverunt nos ad suas mensas. Deus omnipotens retribuatur omnibus nos adjuvantibus mercedem in die necessitatis. O quantum laudandus est Deus, qui non deserit sperantes in se, sicut ait psalmista: *Deus protector est omnium sperantium in se!*

*De inchoatione cellarum.*

Et quia in superiori loco declaratum est, qualiter bonus ille civis Antwerpiensis, nomine Johannes Overhof, in principio contulisset sexcentos florenos aureos, cum quibus empti fuerunt redditus, ut prefati sumus, iterum contulit quadringentos florenos pro constructura prime celle, scilicet X.

Et pro dotatione ejus item contulerat antea etiam in terra de Breda terram magnam, ex qua fodiuntur cespites, que, prout audivi, valet bene annuatim septingentos florenos et plus. Et coram scabinis resignavit has terras cum literis quam pluribus. Sed dux de Nassauwe, senescallus Brabantie, ille apposuit manum, et dixit illas terras sibi pertinere, eo quod prefatus Overhof quondam fuerat reddituarius patris sui, scilicet domicelli de Nassauwe. Et licet ipse Johannes Overhof emerat illas terras, tamen dominus de Nassauwe concilio suorum dixit, quod non dederat dignam pecuniam. Quapropter placitatum est in concilio Brabantie, sed sententia diffinitiva non est data; et sic via facti, non via juris, retinet illas terras; quod prefatus Johannes lachrimose cum cordis compassione deflevit, diligebat enim salutem anime ejus. Et si patres non habuissent spem recipiendi istos redditus, forsitan non inchoassent istam fundationem, eo quod statuta nostra canunt, quod non sit incipienda aliqua domus, nisi habeat honestam structuram et redditus pro sustentatione x vel xij monachorum. Nichilominus Deus non derelinquet suos. Sancta mater Ecclesia et omnes ordines ineeperunt a paupertate; et quamdiu regnat leta paupertas, regnant virtutes, scilicet contemptus terrenorum, que virtus est initium bonorum omnium, quia inordinata sollicitudo terrenorum et mundialium extinguit charitatem, teste Augustino et dicente "*Augmentum charitatis est diminutio cupiditatis.*"

*Constructio duarum cellarum, scilicet literarum } X et Y.*

Item, anno Domini millesimo ccccxcij<sup>o</sup>, in die sancti Urbani, que fuit vigilia Penthecostes, incepte fuerunt due celle, scilicet Johannis Van Overhof et cella fundatoris primi, domini prepositi Malbodiensis, qui fundum emerat et dederat, et adhuc pro structura ejusdem celle dederat ducentos florenos. Electe erant tredecim virgines nobiliores, elegantiores ac ditiores, que invitate erant a procuratore, ut ponerent primum lapidem in

fundamento. Que advenientes virgines posuerunt primum lapidem, nobis cantantibus cum lachrimis : *Veni, Creator Spiritus*, ad honorem Dei et gloriose Virginis; ad cuius honorem speramus, quod caste anime in eodem loco perseveranter servire debeant Deo et gloriose Virgini Matri Dei. Obtulerunt prefate virgines aurum et argentum, et denarios argenteos et aureos; de quibus dedimus ex liberalitate cementatorii duobus duos florenos renenses. Et bene contenti erant; et famulus eorum pro bibali quatuor stuferos habuit. Iste due celle complete erant eodem anno circa festum Martini.

Item, anno sequenti dedit prefatus civis Antwerpiensis, Johannes Overhoeft, quadringentos florenos, cum quibus empti erant xij modii siliginis annuatim et quinque bonnaria terre arabilis; que tamen redempta fuerunt ab heredibus proximioribus.

*De tertia cella, litera scilicet Z.*

Item erat quidam studens Lovaniensis, dominus Nicolaus Dreyser, sacerdos, vir honeste vite. Erat natione Zelandrinus et dives. Hic in senectute sua, dum fini vite sue appropinquaret, fecit elemosinas multas. Et, dum esset in extremis, legavit domui nostre centum florenos renenses pro structura celle. Que pecunia non sufficiebat ad structuram. Unde executores, scilicet magister Egidius et dominus Johannes de Breda, compatientes, nobis dederunt in complementum celle adhuc lxxv florenos; cum quibus pecuniis una cella facta est, scilicet illa, que ad portam ecclesie proxima est. Obiit prefatus dominus magister Nycolaus Dreyser<sup>1</sup>.

*De quarta cella, litera scilicet D<sup>2</sup>.*

Erat quidam rector seu regens pedagogii nomine magister

<sup>1</sup>) Nicolas Dreyser mourut le 6 avril 1495.

<sup>2</sup>) Les lettres du manuscrit, servant à distinguer les cellules, ne sont pas de Jean Vekestyl, auteur de la *Chronique*. Celui-ci a laissé leur place en blanc. Elles ont été ajoutées plus tard; et beaucoup ont été changées

Jaspar de Turnhoudt, in pedagogio Falconis, qui moriens legavit ducentos florenos et ultra pro structura celle. Et posuit pecuniam illam in cambio sub manu et custodia Johannis Heyms, qui eo tempore erat campsor Lovaniensis. Sed, dum adversa fortuna prefatum Johannem et campsores molestaret, non habuit, unde perficere poterat. Consilio habito, magister Nicolaus Helles, doctor sacre pagine, ordinavit sic, ut ipse magister Nycolaus vel hospitale magnum dimidium precium, et nos dimidium exponeremus pro structura celle, ea conditione quod campsor, scilicet Johannes Heyms, in posterum plene persolveret. Sic factum est. Sed hec eadem cella tot adversitates sustinuit tum propter campsores, tum propter dolosos operarios, quos oportebat compelli ad opus per censuram ecclesiasticam, ita quod infra tempus quatuor annorum cella non poterat ad completam formam venire. O quam securum est, ut homo in vita sua tribuat elemosinas et non credat amicis et alienis, qui aliquando parvam curam aut sollicitudinem gerunt pro anima! Et est magis meritorium in vita dare, dum sua sunt, quam post mortem, dum sua non sunt.

*De quinta cella, litera scilicet S<sup>1</sup>.*

Erat in Mechlinia quidam honorabilis vir Simon de Slusa, et dominus prepositus Mechliniensis, doctor in medicinis et prepositus in summo in Trajecto Inferiori. Hic honore et amore Dei pro salute anime sue dedit ducentas coronas pro structura celle unius, et dotavit eam realiter, scilicet conferens

par une nouvelle main. Nous donnons dans le texte la première leçon, et nous indiquons, en note, les changements introduits dans la suite. Les lettres indiquées par Molanus, *Historia Lovaniensium*, I, pp. 296 et svv., ne correspondent pas toujours non plus avec celles de notre manuscrit; c'est ainsi, par exemple, que Molanus désigne par la lettre V la cellule fondée par Gaspar Kinschot de Turnhout, tandis que le manuscrit lui donne la lettre D.

<sup>1</sup>) La lettre S a été changée plus tard en T. Molanus donne aussi à cette cellule la lettre S.

xxx florenos super opidum Brugense in Flandria. Cujus anima requiescat in pace. Obiit hic dominus doctor anno Domini m<sup>o</sup>cccc<sup>o</sup>xcix<sup>o</sup>.

*De sexta cella, litera scilicet A<sup>1</sup>; et est cella procuratoris.*

Illustrissima ducissa domina Margareta, uxor quondam ducis Karoli Burgundie et Brabantie, etc., et vidua, que valde diligit personas religiosas, et multas elemosinas fecit et facit pauperibus et novis monasteriis; hec domina voluit eciam ad honorem Dei, in remedium anime sue, construere unam cellam, et eam similiter dotare; et pro complemento dixit, quod daret octingentos florenos; sed nondum venit ad effectum. Nichilominus recepte sunt pecunie pro structura celle; cum quibus speramus, quod cella estate futura perficietur. Etiam speramus de ejus providentia, quod pecunie dabuntur pro dotatione. Hec domina multa bona fecit; nam reformavit hospitale magnum in Lovanio, ubi quondam erant moniales, que erant male vite et quasi nichil fecerunt pro infirmis aut infirmorum cura. Sed prefata ac virtuosa ducissa procuravit, quod in eodem hospitali posite sunt sorores virtuose, que diligenter ministrant infirmis et valde humiliter usque hodiernum diem. Etiam prefata domina ducissa reformari procuravit Predicatores in Lovanio, et ipsamet, presentialiter veniens Lovanium, demandavit plures fratres reformatos de diversis monasteriis. Ita quod usque hodiernum diem reformatio durat. Laudetur Deus. Hec reformatio facta fuit anno Domini mccccxvi.

Item, anno m<sup>o</sup>ccccxij, quarta die septembris, consecratum fuit cymiterium Carthusiense in Lovanio per reverendum patrem et dominum Johannem, episcopum Sirenensem, presentibus dominis Johanne Flammingi et Johanne Optielt, presbiteris, et pluribus aliis personis utriusque sexus.

Item, in profesto Dionisii obiit famosus medicus magister

7) La lettre A a été changée plus tard en B. Molanus donne aussi A.

Johannes Spirinck, qui erat canonicus ecclesie sancti Petri in Lovanio, ecclesie sancte Gudule in Bruxella, ecclesie sancti Gumhari in Lira, ecclesie sancti Rumoldi in Mechlinia, etc., anno scilicet m<sup>o</sup>ccccxcix, die ut supra.

*De septima cella, litera scilicet †<sup>1</sup>; et est cella prioris.*

Item magister Franciscus, prepositus Leodiensis et instructor principis ducis Philippi Burgundie, qui postea electus fuit in archiepiscopum Bisuntinensem in Burgundia<sup>2</sup>, hic etiam incepit cellam construere. Qui proposuit etiam eam dotare liberaliter. Que cella inchoata est anno Domini m<sup>o</sup>ccccxcix, circa Penthecosten, et super hoc contulit e et l florenos, et reliqua pecunia semper in promptu est, prout dicit.

*De octava cella, litera scilicet T<sup>3</sup>.*

Erat quidam mercator in Bergis supra Zomam, nomine Walterus Zielens<sup>4</sup>, oriundus de Buscoducis. Hic erat elemosinarius, et justus et timoratus, diligens valde bonos religiosos; eos corporaliter visitando commendabat se eorum orationibus. Quem ego frater Johannes de Lovanio, procurator existens in nova plantatione, propter necessitatem et penuriam consuevi visitare in Antwerpia in hospitio suo, ubi manebat prefatus mercator Walterus in hospitio, quod vocatur *in Ethiope*. Et aperui ei necessitatem nostram. Qui frequenter dedit michi procuratori Johanni pecunias, quibus emi provisiones nostras. Quodam tempore, dum visitassem eum et ipse michi dedisset pecuniam ad emendam provisionem, dixit michi, quod vellet

1) La croix (†) qui servait à marquer cette cellule a été remplacée par lettre A. Molanus la désigne aussi par une croix.

2) François Busleiden, fondateur du collège des Trois-Langues, à Louvain, mort archevêque de Besançon.

3) T changé plus tard en V. Molanus a également T.

4) Zielens, ou plutôt Gillis, comme l'auteur de la *Chronique* l'appelle toujours dans la suite. La famille Gillis portait aussi le nom de De Pottere.

nos visitare et videre, utrum plantatio nostra esset in tanta paupertate constituta. Et dixi ei : " Waltere, quando venietis Lovanium? " Et dixit : " Hoc anno ". Sed, impediēte cura et sollicitudine, non venit. Unde accidit forsitan divina voluntate, quod egrotare cepit acriter, et rediens ad cor dixit corde et ore : " Ego si mercantiam centum marcharum fecissem, " observassem verbum meum. Ego promisi fratri Johanni, " procuratori nove plantationis in Lovanio, ut visitarem eum " et locum, et non servavi promissum. Nunc promitto, si " possem de lecto surgere, quod pergam versus Lovanium, et " videbo qualiter institutum est. " Unde misit nuntium, quod venirem ego procurator Johannes ad eum. Ego Johannes illo tempore absolutus fui a procurationis officio, et venit successor meus ad eum. Videns mercator Walterus, quod alius procurator veniret ad eum, putabat se deceptum. Qua propter accedens ad priorem beate Catherine, virginis, ejusdem ordinis, scilicet dominum Arnoldum de Helmont, consuluit eum, quid faceret. Dominus prior, scilicet venerabilis pater dominus Arnoldus, vir fidelis et devotus per omnem modum, suasit, ut perficeret bonam voluntatem, quam Deus in corde suo inspiraverat. Roboratus igitur verbis bonis prioris Antwerpie, scilicet predicti domini Arnoldi, venit Lovanium. Qui videns me fratrem Johannem, antiquum suum amicum, gavisus est; qui dixit : " Frater Johannes, ego sum infirmus valde, et sentio " me citius moriturum, eo quod non valeo dormire; unde " volo providere anime mee. Igitur in subsidium anime mee " ego volo hic construere cellam unam cum omnibus suis " pertinentiis et egregie eam dotare. " Et vocans unum fidelem amicum suum, virum utique Deum timentem, scilicet Petrum Collies, dedit ei cc florenos et xv, ut inciperet cellam. Ipse in brevi dixit se rediturum et alias pecunias portaturum; sicque recedens (*sic*), cella inchoata et incepta fuit anno Domini m<sup>o</sup>ccccxvij, in profesto Assumptionis beate Virginis Marie. Reversus igitur ad opidum suum, scilicet Bergense, inceptit

gravius egrotare; et tandem sentiens se moriturum, receptis Ecclesie sacramentis, prehabita confessione, viam ingressus est universe carnis; et condito testamento legavit pro dotatione celle sue. Et ultra hoc legavit pro inchoatione ecclesie mille et ix<sup>o</sup> florenos renenses. Et sic animam suam commendavit Domino, et orando emisit spiritum. Cujus anima requiescat in pace.

Ipso igitur defuncto, frater ejus Ghysbertus voluit omnia complere, que frater suus dederat. Venit igitur frater ejus Ghysbertus Lovanium, et contulit pecuniam fratris sui pro structura celle et ecclesie. Insuper notum sit omnibus hec legentibus, quod, quum Walterus hoc testamentum conderet, frater ejus Gysbertus multum ei restitit, dicens " Frater, cur " vultis tanta dare monasterio Carthusiensium in Lovanio, " cum nunquam Lovanium vidimus? Nam in patria nostra " sunt ecclesie et monasteria, que etiam indigent adjutorio. " Respondit ei frater suus : " Frater, rogo, noli michi resistere, " quia fui in Lovanio, et vidi locum, et scio pro certo, quod " locus indiget elemosinis multis; et rogo, ut compleatis de " siderium meum. Et ecce, confero tibi domum meam in Bergis " cum omnibus utensilibus et mobilibus, sicut jam existit, et " lectisterniis et jocalibus; insuper quinquaginta florenos " renenses perpetuos redditus supra opidum de Buscoducis. " Etiam confero tibi tria milia in promptis pecuniis. Ideo, " rogo, frater, ut impleas voluntatem meam extremam, et pro " videas, ut frater Johannes de Lovanio, qui cellam inhabitabit, habeat omnia requisita et necessaria ad cellam. " Sicque obiit anno m<sup>o</sup>ccccxvij<sup>o</sup>. Cujus animam letificet Christus in celis cum omnibus sanctis, amen. Sepultus est apud Fratres Minores in Bergis, quibus etiam legaverat summam unam florenorum ad complementum ecclesie. Och, quam bene providit anime sue, qui ad honorem Dei tam liberaliter expendit sua bona ecclesiis, monasteriis, pauperibus, melius consultus pre illis pluribus, qui plures habentes divicias, nec in vita

nec in morte tribuunt in succursum animarum suarum, thesaurizantes et ignorant, cui thesaurizant, relinquentes bona sua, pro quibus acquirendis laboraverunt nocte et die, extraneis vel propinquis, qui vix unam orationem aut unam missam facerent celebrare pro eis.

Post mortem Walteri et, expletis exequiis, post septenarium, frater ejus, scilicet Ghysbertus, venit Lovanium impleturus omnia, que frater suus commiserat ei. Sicque complevit cellam et incepit ecclesiam. Scilicet anno Domini m<sup>o</sup>cccc<sup>o</sup>xvii<sup>o</sup>, circa Penthecosten, jactata fuerunt fundamenta; et anno m<sup>o</sup>ccccxcix, circa festum Martini, completa, licet non fuerat adhuc cooperta; et anno m<sup>o</sup>cccc<sup>o</sup>, in profesto sancte Agnetis, crux erecta supra campanile. Et licet pecunia non sufficiebat, quam legaverat Walterus ad ecclesiam, frater tamen suus, scilicet Ghysbertus, qui antea non erat inclinatus ad locum, per gratiam Dei ita inclinatus erat et adhuc, quod de suo et de sua pecunia liberaliter contulit, et non vult cessare nec retrahere manum suam, donec ecclesia completa fuerit, ut fratres poterunt ibidem divinas laudes cantare. Laudetur Deus, qui cor ejus inclinavit ad nos, et suscitavit et dedit voluntatem istam bonam. Conservet eum Dominus in vita ab omni malo, et in morte, ab insidiis invisibilium inimicorum, et post mortem sibi conferat vitam sempiternam, amen.

Item, anno gratie, scilicet anno m<sup>o</sup>cccc<sup>o</sup>, in profesto sancti Mathie, apostoli, natus erat filius duci Philippo de illustrissima uxore sua. De cujus nativitate celebratum est magnum gaudium in Gandavo, quia ibi natus, et in Lovanio et in ceteris opidis patriarum.

Item, anno gratie m<sup>o</sup> quingentesimo, quod fuit concursus magnus multorum peregrinorum versus Romam pro indulgentiis consequendis, septima die martii, in die sancti Thomae, fuit baptizatus filius ducis Philippi, ducis Austrie, Burgundie, Brabantie, et vocatus Karolus. Et levaverunt eum in fontem multi nobiles in Gandavo.

Item, anno Domini mv<sup>o</sup>, xix die decembris, tanta redundantia aquarum fuit in Lovanio, quod multa dampna inde secuta sunt et incredibilia, nisi oculis conspexissemus; nam aggeres sive menia opidi cum portis et turribus eversi fuerunt, multe domus, multi muri ceciderunt, sarcophagi in ecclesia sancte Gertrudis eversi, pontes lapidei fracti, etiam lapides, quibus platee sternuntur, eversi fuerunt in multis locis. Predicatores, Minores, Augustinenses steterunt in aquis, ita quod Predicatores magna dampna habuerunt; nam libri missales destructi, ornamenta preciosa deteriora facta sunt; nam aqua stetit ultra magnum altare per pedem. Och! quanta pericula! Homines confugerant supra solaria, et quamplures non habebant ad comedendum. O quot vasa cum vino, quot cum cervisia destructa; quam multa horrea cum bladis perierunt; quot animalia submersa! Nam in domo monialium ordinis regularium in media platea sorores amiserunt omnia animalia sua, vaccas et porcos; et muri ejusdem monasterii corruerunt ante et retro, a dextris et a sinistris. In memoria hominum non scitur, quod unquam in Lovanio fuit tale periculum et tanta dampna. Laudemus nos Lovanienses Deum nostrum, qui nos flagellat in presenti, ut nobis parcat in futuro; et avertat iram suam a nobis, et immittat nobis suam benedictionem. Ipse percutit et sanat, vulnerat et medetur, mortificat et vivificat. Simus igitur patientes, expectantes Dei benedictionem. Ipse est, qui in ictu oculi possit omnia perdita restituere.

Item, anno Domini m<sup>o</sup>v<sup>o</sup> primo, circa carnisprivium, fuit quedam puella in Lovanio obsessa, que manebat non longe a capella sancte Margarete; que, adjurata a quodam sacerdote in villa de Herent prope Bethleem, multa dixit. Et dyabolus dixit per os puelle modum ingressionis sue et causam; unde aliquando dixit se et duos socios esse, aliquando dixit septem habere demonia, et similia.

Item, post annum gratie erat annus miserie, nam multe miserie contigerunt. Item in Lovanio, circa Purificationem,



anno v<sup>o</sup> primo, cecidit quidam homo in caldariam bullientem, in qua cervisia braxabatur; et mortuus extractus est. Item fuit juvenis quidam, qui occidit avunculum suum. Ambo erant carnifices et cognati. Miserabiliter amputavit sibi pedem et brachium, ita ut non dependebant nisi cum quadam pellicula ad corpus; et cultris perforatus erat circa cor et alia loca. Et hoc contigit in platea Predicatorum, cum rediret de completorio.

Item, tempore meo, circa mediam quadragesimam anno xcv, quidam clericus adolescens, habens annos circiter xxij, ex impatientia vel ex quadam displicentia voluit seipsum occidere. Erat tamen honeste vite, prout dicebatur, nam non poterat audire verbum inhonestum, quin statim quasi lapide fronte percussus recessit. Habuit consilium, quod ivit ad confessionem; et dominus terminarius Lovaniensis de ordine Carmelitarum dixit, quod posuerat eum in pace et serenitate conscientie. Qui, cum dominica medie quadragesime surrexisset, seipsum suspendit cum mappa ad trabem; et miror valde, vix erat per pedem supra terram, et si stetisset erectus, non fuisset suspensus. Et misi manum meam inter collum ejus et laqueum, et tamen collum erat confractum; de quo mirabar, cum vidissem. Perrexi supra solarium et perspexi.

Item, anno xcviij erat quidam secretarius in domo civium, magister Bartholomeus de Ruyssche. Hic mortem expetiit, et noluit diutius vivere. Unde omnem modum seipsum occidendi quesivit ex quadam desperatione vel pusillanimitate. Qui ab omnibus recipiens et audiens consilium a tali temptatione non poterat liberari. Tandem projecit seipsum in puteo per dorsum, ut facilius submergeretur; sed, divina gratia protegente, non potuit mergi, donec succurrerent, qui eum invitum extraherent. Postea rediit ad seipsum et ad officium suum, Deo gratias agens, qui eum a tanto periculo eruit.

Item, anno Domini xcviij quedam mulier in Lovanio litigavit cum vicina sua, et illa ex nimia impatientia vel ex

instigante dyabolo projecit se in puteo, et submersa a clientibus villici extracta in furca est suspensa. Och, quam mala passio ira! Debent se homines servare ab ira, ne in dominium dyaboli redigantur.

Item, anno Domini m<sup>o</sup>v<sup>o</sup> primo, xvij die julii, nata fuit Philippo, duci Burgundie, etc., filia in Bruxella, scilicet sabbato, in die sancti Alexii.

*De nona cella, litera scilicet E<sup>a</sup>.*

Item, anno Domini m<sup>o</sup>v<sup>o</sup> primo, edificata fuit nona cella, quam dederat domina de Ranzen, militissa<sup>2</sup>. Et legavit pro dotatione xxvij florenos renenses annue pro monacho cellam suam inhabitante.

Item, pons ante portam sancti Jacobi lapideus factus fuit anno Domini m<sup>o</sup>v<sup>o</sup> primo, qui secundo reparatus est primo destructus pre vetustate; secundo destructus fuit ex vi undarum, dum tanta redundantia aquarum fuerat, quod multa dampna sustinuit opidum ut supra.

Item, eodem tempore contigit aliquid, quod preterire nolo, ne oblivioni tradatur. Erat Lovanii doctor in theologia magne scientie et magni nominis, homo spectabilis stature, de ordine Fratrum Minorum, nomine magister Anthonius de Gratia Dei. Huic propter scientiam suam Summus Pontifex dedit abbatiam unam, que copiosa erat in redditibus et possessionibus; sed ipse parvipendebat conventum, et non erat talis, qualem monachi eum esse sperabant. Nam vix necessaria eis dedit; nam, que acquirere poterat, ad suum usum convertebat. Monachi murmurabant; ipse de hoc parum curabat. Tandem monachi eum ceperunt et incarceraverunt; incluserunt eum custodientes et ei victum tribuentes satis parvum. Tandem ex

<sup>1</sup>) La lettre E a été changée d'abord en B et puis en C. Molanus donne à cette cellule la lettre B.

<sup>2</sup>) Catherine de Ranzen, veuve du chevalier Jean Absaloens, auque Molanus donne le prénom de Josse.

penuria tum ex displicentia et merore mortuus est in inclusione sua<sup>1</sup>.

Item, in Heretals est parvum monasterium ordinis Fratrum Minorum de observantia, in quo fuit unus egregius predicator, qui fugiens occulte venit ad curatum de Gelle, ubi quiescit sancta Dympna. Ille rogavit curatum, ut sibi succurreret. Dixitque : " Ego demandatus, ut venirem Trajectum, et ordinarer in suffraganeum; concedatis michi tabardum vestrum foderatum, et wanbasium, et caligas, secundo currum. Que omnia curatus sibi procuravit. Dum esset in via in quodam hospitio, ille frater de observantia de nocte surrexit et fugit. Curatus de mane voluit eum excitare, et nichil respondens invenit eum fugam arripuisse.

Item anno Domini m<sup>v</sup><sup>o</sup>ij, litera dominicali existente B, in januario die xix, fuit sepulta quedam mulier, ancilla cujusdam sacerdotis, in ambitu. Et fuit prima sepultura, quam domus nostra habuit post decimum annum a tempore, quo primo venimus huc.

DEUXIÈME PARTIE DE LA CHRONIQUE.

*Anno mccccxciii<sup>o</sup>.*

Item, dominus Walterus Waterlet, alias Henrici, prepositus Mabugensis et scolasticus ecclesie sancte Gudule, fuit unus de primis benefactoribus seu fundatoribus hujus domus. Qui obiit hoc anno in profesto Nycolai.

*Anno mccccxcv<sup>o</sup>.*

Item, anno quo supra, vi die aprilis, obiit in Lovanio venerabilis vir et sacerdos magister Nycolaus Dreyser, qui nobis legavit in testamento pro edificatione unius dimidie celle centum renenses, litera scilicet Z. Executores vero convenientes cum cementariis addiderunt adhuc xv renenses; reliquum exposuit conventus.

<sup>1</sup>) Voyez sur ce personnage ΠΑQUOT, *Mémoires*, éd. in-fol., II, p. 33.

Item, executores predicti addiderunt adhuc postea in adjutorium reparationis celle quinquaginta renenses; item adhuc aliquos libros ex parte ejusdem. Vide in registro.

*Anno mccccxcvj<sup>o</sup>.*

Item, anno eodem, xv junii, obiit in Antverpia honestus vir Johannes Overhof, magnus benefactor et quasi primus et principalis fundator hujus novelle plantationis. Ex parte cujus multa bona nobis provenerunt. Idem cum domino et magistro Waltero Henrici prescripto edificaverunt duas primas cellas simul inchoatas. Litere sunt X et Y.

*Anno mccccxvii<sup>o</sup>.*

Item, obiit hoc anno Antwerpie, xx januarii, venerabilis pater Henricus de Duwelandia, prior domus sancte Katherine juxta Antwerpiam, specialis procurator et promotor istius novelle plantationis; qui magnis [laboribus] et sollicitudine sua privilegia et consensum dominorum pro ista domo impetravit, et multa bona conquesivit.

Item, hoc anno, vj augusti, scilicet ipso die Sixti, pape, qui accidit in dominica, venit ad nos Walterus Gillis, alias De Pottere, de Buscoducis, mercator, pro tunc domicilium habens in Bergis, egrotus et debilis valde, ut bene apparuit; et addixit nobis unam cellam et dotationem ejusdem. Die vero sequenti ipsemet convenit cum Johanne Sallake, cementario, et Wilhelmo De Cater, carpentario, de toto opere ejusdem celle, ita quod cementarius haberet pro qualibet virga ij renenses cum iij stuferis, carpentarius vero de toto opere suo lxx renenses. Ista cella inchoata fuit in vigilia Assumptionis Virginis Marie, et est prima versus aquilonem in parte inferiori, in angulo, litera scilicet T<sup>1</sup>.

Et statim post, scilicet xvij augusti, idem Walterus mortuus requievit in pace. Iste Walterus nec uxorem nec proles unquam habuit, et reliquit heredem fratrem suum nomine Ghysbertum,

<sup>1</sup>) La lettre T a été changée postérieurement en V.

qui sibi in mercantiis suis semper adjutorio fuit; a quo in super in extremis suis petivit, quatenus ita cellam perficeret, ut nichil penitus in ea deficeret, ac pro dotatione celle xxv renenses annuos redditus bonos et legales alicubi assignaret. Quod idem Ghysbertus, ut nobis dixit, in omnibus adimplere voluit; et quousque redditus bonos venales non inveniret, eosdem nobis ex bursa sua ipsemet persolveret. Preter predicta idem Walterus reliquit nobis adhuc in testamento suo trecentas libras Flandrie, scilicet xvij<sup>c</sup> renenses<sup>1</sup>, pro edificatione ecclesie. Tantum enim, ut postmodum ex fratre suo intelleximus, affectum ad hanc novellam plantationem concepit, ut casu, quo supervivere potuisset, postpositis negociis suis omnibus, Lovanii sibi mansionem ad quiete habitandum comparasset. Requiescat in sancta pace.

Insuper Ghysbertus, frater Walteri defuncti, eodem anno, nondum completa cella, inchoavit ambitum ante cellam fratris sui in duobus lateribus, et hoc quoad quinque fenestras, de pecunia sua propria.

*Anno mccccxviiij<sup>o</sup>.*

Item, obiit xxiiij januarii honesta domicella Barbara, uxor quondam predicti Johannis van Overhoef, magni benefactoris nostri.

Item, hoc anno, xvij februarii, que fuit dominica Sexagesime, dominus Reynerus, curatus sancti Jacobi, baptizavit nobis novam campanulam nostram de xlvij libris, quia antiqua rupta fuit. Et a convenientibus collatum fuit in adjutorium ejusdem campane circa ij coronas, que pro eadem exponebantur.

Item, hoc anno, penultima martii, positus fuit per Petrum Coelkies de Antwerpia, bonum amicum domus et prefectum

<sup>1</sup>) Ci-dessus, p. 241, le chroniqueur dit que le legs faits par Wautier Gillis en faveur de l'église de la Chartreuse s'élevait à 1900 florins du Rhin.

operis nostri, nomine Walteri Gillis, anno preterito defuncti, qui reliquit nobis ad opus ecclesie trecentas libras Flandrie, primus lapis (Deo gratias) in fundamento pro edificatione ecclesie, etc.

*Anno [m]cccc xcix<sup>o</sup>.*

Obiit hoc anno in Lovanio, xxvi januarii, que fuit dominica Septuagesime, venerabilis vir magister Petrus de Rivo, doctor sacre theologie eximius, vir sancte vite et honestissime conversationis, qui pedagogiam Castri multo tempore laudabiliter rexit, et postmodum plebanus ecclesie sancti Petri Lovaniensis fere xxiiij annis exemplariter rexit; qui magnus fautor et promotor fuit hujus nove plantationis. Sepe refrigeravit nos; quum non habebamus denarios ad necessaria emenda, ipse liberaliter et letanter contulit nobis necessaria. Hic legavit nobis libros suos omnes, qui ad theologiam et ad jus canonicum pertinebant etc. Vide in libro elemosinarum, qualiter hij debent accommodari Castrensibus, etc.

*Nota* : Hoc anno in nundinis Penthecostis Ghysbertus Gillis emit nobis a fratre Gerardo Aperi, tunc priore domus Delphensis, unum missale scriptum ibidem per manus fratris Lamberti de Aemsterdammis senioris xxvij renensibus.

Item, postea emit adhuc duo magna candelabra pro altari suo.

Item, obiit hoc anno in Mechlinia, xxvij septembris, ipso die Cosme et Damiani, venerabilis vir magister Symon de Slusa, domini Philippi, archiducis, medicus expertissimus necnon ecclesie majoris Trajectensis et sancti Rumoldi Mechliniensis prepositus. Hic bonus amicus et fautor istius novelle plantationis fundavit hic unam cellam, eamque dotavit xxx renensibus annue supra dominia principis in Brugis. Et est cella secunda versus plagam septentrionalem, litera scilicet S<sup>1</sup>.

Pater Gerardus, prior Delfensis, visitator, dedit nobis lecto-

<sup>1</sup>) La lettre S a été changée plus tard en T.

rium in choro, ubi leguntur lectiones et epistole, loco unius vacce, quam ante promiserat.

*Anno m<sup>o</sup>.*

Nota, quod hoc anno, ultima<sup>1</sup> martii, eadem die, qua ante duos annos positus fuit primus lapis in fundamento ecclesie, ipsa ecclesia pro tunc dimidia et turris tota fuit cooperta; et hoc expensis Ghysberti Gillis, mercatoris, fratris Walteri, etc.

Obiit hoc anno in Lovanio, ultima augusti, generosa et nobilis domina, domina Katherina Absaloens, alias de Ranzen, relicta quondam domini Johannis de Ranzen, militis. Hec legavit in testamento suo huic conventui foundationem ac dotationem unius celle; que inchoata fuit ante mortem suam; et est secunda ad januam nole, inscripta litera scilicet B<sup>2</sup>.

Hoc anno, in congregatione patrum, circa Crucis, emit rector noster secundus, postea primus prior, a priore Silve omeliaria de tempore et sanctis in tribus voluminibus, cum adjutorio patrum hoc modo: Pater Martinus Adorne, prior Brugis, tunc temporis visitator provincie, rogavit patres provincie, quatenus quilibet secundum facultatem domus sue vellet porrigere manus adjutrices pro emptione predictorum librorum; quod et annuerunt. Et quid quilibet daret, ipse ordinavit hoc modo: prior Capelle v solidos Flandrie, prior Brugis iiij solidos, prior Antwerpie v solidos, prior Silve x solidos, prior Hollandie vj solidos, prior Monachorum v solidos, prior Diestis iij solidos, prior Gandavi v solidos, prior Leodii x solidos, prior Trajecti v solidos, prior Amsterdammis v solidos, prior Bruxelle v solidos, prior Sophie iij solidos, prior Delf iiij solidos, prior Syon iiij solidos; reliquum vero solveret domus nostra, scilicet xxx solidos, hoc est ix renenses. Estimati

<sup>1</sup>) On lit dans le texte de l'auteur de la *Chronique* le mot *ultima*; mais une main plus récente a écrit au-dessous de *ultima* le mot *penultima*.

<sup>2</sup>) La lettre B a été changée plus tard en C.

enim erant libri v libras Flandrie cum dimidia, hoc est xxxiiij renenses. Sed priores Antwerpie, Dyest et Syon nichil solverunt, quia prior Antwerpie eodem tempore pro parte sua dedit nobis unum bonum antiphonarium; alii duo allegaverunt penuriam. Et sic solvit adhuc pro illis tribus prioribus iij renenses et xij stuferos. Summa ergo pro parte nostra xij renenses cum xij stuferis. Dominus Deus retribuatur prioribus.

*Nota*: Circa finem istius anni completa ac perfecta fuit cella cum ambitu suo reverendissimi in Christo patris ac domini Francisci, episcopi Bizontini, que est cella prioris, inscripta litera scilicet †<sup>1</sup>.

Item, circa idem tempus completa fuit (quamvis nondum interius reparata) cella cum ambitu suo illustrissime domine, domine Margarete de Anglia, relicte quondam domini Caroli, ducis Burgundie. Et est cella procuratoris proxima ad januam nole inscripta, litera scilicet A<sup>2</sup>.

*Anno m<sup>o</sup> primo.*

Nota, quod hoc anno circa finem marcii, quo tempore ante tres annos positus fuit primus lapis in fundamento ecclesie, ipsa ecclesia pro tunc dimidia fuit testudinata, et hoc expensis Ghysberti Gillis, mercatoris, fratris Walteri defuncti.

*De dedicatione ecclesie et summi altaris.*

Hoc anno, xviii julii, que fuit dies dominica, C existente litera dominicali, reverendissimo in Christo patre ac domino domino Johanne de Horne, episcopo Leodiensi, gratis nobis concedente licentiam, dedicata fuit ecclesia nostra simul cum summo altari, in honorem et memoriam beate Marie Magdalene sub cruce, per duos reverendissimos in Christo patres ac dominos, dominum Libertum, episcopum Bericensem, et dominum Johannem, episcopum Cyrenensem, suffraganeos predicti

<sup>1</sup>) La croix a été biffée et remplacée plus tard par la lettre A.

<sup>2</sup>) La lettre A a été changée plus tard en B.

domini Leodiensis, coadjuvantes se mutuo, episcopo Bericensi completa dedicatione exhortationem ad populum faciente, deinde missam solemnizante. Qui etiam instituerunt eodem die singulis annis, hoc est dominica ante festum Marie Magdalene, dedicationem ejusdem ecclesie semper agi debere; presentibus venerabilibus Martino Adorne, priore Brugis, et Arnolde Vastaert, priore Antwerpie, visitoribus nostre provincie, necnon prioribus Silve sancti Martini, Zerizee, Bruxelle, et procuratore Capelle, ordinis nostri, cum aliis multis honestis viris et dominis, domino Parcensi, domino de Floreffia et magistro Conrado de Sarto, preposito Mechliniensi; presente etiam Ghysberto Gillis, mercatore, qui hanc ecclesiam, quam frater suus Walterus Gillis, pie memorie, inchoavit, ad hanc perfectionem perduxit.

Eodem fere tempore, scilicet altera Magdalene, per eundem Bericensem consecratum fuit cimiterium fratrum ante ecclesiam in angulo, et parvus ambitus quoad introitum ecclesie et retro cellam prioris, quoad duo illa latera; necnon et magnus ambitus in longum ad latus ecclesie, simul cum ambitu ex utroque latere quoad duas cellas, que tunc edificate erant.

Est hic diligenter notandum, quod reliquie incluse sunt in lapide altaris. Quapropter, si ecclesia posthac perficiatur et altare removeatur, ubicumque lapis ponitur manet consecratus, dummodo integer conservetur, quod nunc sic passim fit. De aliis altaribus etiam dedicatis vide in anno sequenti.

Item dominus Robertus de Monte, sacerdos, dedit in summo altari duo magna candelabra de lxxij libris, et unam magnam et novam mappam pro eodem altari. Est apud nos sepultus.

Item, nota, quod feria vj ante dedicationem Lovaniensem positum fuit vitrum majus in posteriori parte ecclesie nomine et expensis Ghysberti Gillis, mercatoris; pro quo exposuit xxvj renenses; pro tribus vero minoribus vitris in vitta chori antea exposuit xv renenses. Nichilominus noluit, ut sibi

asseriberetur, sed totum fratri suo Waltero, sicut in vitro majori scriptum habetur.

Hoc anno, circa principium Adventus Domini, honestus vir magister Nicolaus Virili, artium magister et filius magistri Karoli nominati Viri, quondam regentis Lovanii in pedagogio Lillii, contulit huic domni unam pulcram et bonam cistam ferream ad reponendum calices et cetera clenodia domus. Pro qua fabricanda exposuit, ut michi retulit magister operis, qui eam fabricatus est, lv renenses communes. Retribuat ei Dominus.

Item, circa festum Lucie, Ghysbertus Gillis, mercator et pater noster, misit nobis de Bergis per Henricum, servitorem, unum corbem ficorum et unum corbem racemorum preter omnia alia opera, que adhuc cotidie fiunt expensis suis.

Item, circa idem tempus honesta domicella Katherina van Wouwe donavit nobis rubram sargiam pro uno antipendio summi altaris. Eadem domicella contulit etiam pulcram tabulam pro uno privato altari cum tribus ymaginibus et taberculis suis pulcre depictis, scilicet Jhesu, Maria et Joanne Baptista. Ista postea in dedicatione ecclesie posita fuit supra summum altare, sed non ad manendum.

Hoc anno, ipso die Innocentium martyrum, dominus Rejnerus Vander Elst, curatus ecclesie sancti Jacobi, apostoli, super Biest in Lovanio, bonus procurator et amicus hujus domus, dedit nobis tres casulas de consimili cruce cum inter-signiis suis, scilicet unam de sargia rubra, alteram de blavia et tertiam de nigra.

Idem curatus procuravit superioribus diebus, in inchoatione hujus novelle plantationis, pro hac domo duos bonos calices, inter quatuor, quos nunc habemus; quia major calix provenit ex parte honesti viri Ghysberti Gillis, mercatoris nostri, pro completionem testamenti Walteri Gillis, germani sui; alius ex parte magistri Egidii de Platea; reliqui vero duo sunt, quos dictus curatus procuravit, etiam cum duabus ampullis argen-

teis. Sed nunquam indicare voluit a quibus procuravit. Dominus eisdem retribuatur in diebus novissimis.

*Anno m<sup>o</sup> secundo.*

Item, hoc anno, in profesto Fabiani et Sebastiani, fuit sepulta apud nos vespere, in ambitu apud januam nole vertendo ad cellam antiquam ducisse, Katherina, ancilla magistri Johannis de Palude senioris. Et nota, quod hoc fuit primum corpus, quod in hoc monasterio sepultum est.

Obiit hoc anno in Lovanio, vi februarii, colendus dominus magister Conrardus de Sarto, prepositus Mechleliniensis necnon canonicus et custos ecclesie cathedralis sancti Lamberti Leodiensis, ac dominus de magno concilio, etc., cordialis amicus domus, qui pro fundatione seu erectione unius celle legavit huic domui trecentos renenses semel; donavitque eidem anno plusquam preterito pro dotatione ejusdem celle xxij modios siliginis in diversis locis. Hic die sequenti sepultus fuit apud nos in medio chori sub campana a latere. Requiescat in pace.

Et nota, quod eodem tempore fuit aliqualis controversia inter nos et dominos de capitulo sancti Petri circa jura funeralia, allegantes domini de capitulo, quod in exequiis prelatorum, doctorum et nobilium, dominus decanus cum suis haberet celebrare missam et exequias; quod nullatenus volumus admittere. Nichilominus, ne fieret scandalum et confusio, rogarunt nos dominus decanus et curatus, quod permetteremus pro hac vice, cum protestatione tamen, ne traheretur in sequelam, donec cognosceremus, quid esset de mente patrum; quod et fecimus. Quare eodem die quo sepultus est. Primus prior et procurator mane protestati sunt in capitulo coram notario, scilicet magistro Petro Zel, et testibus, eo modo, quo supra solum pro nunc admitterent. Patres vero visitatores, postea super hac materia interrogati, responderunt simpliciter, quod non est aliquo modo de mente ipsorum, quod amplius admittatur, quod seculares celebrent divina et exequias in ecclesiis nostris,

eo quod hoc nusquam in aliqua domo ordinis nostri fit, nec aliquando factum est. Sed voluerunt, quod hec conditio dominis proponatur, vel quod permittant nos agere secundum morem ordinis cum defunctis nostris, et emolumenta inde provenientia eis reddamus, vel, si hoc placet, quod tunc celebrent exequias in ecclesia propria, et postea deferant funus ad nos more nostro sepeliendum.

Item, vas nostrum eneam pro aqua benedicta provenit ex parte predicti magistri Conrardi. Item, cella magistri Conrardi istius, litera scilicet...., hoc anno erecta et completa fuit simul cum ambitu suo ad similitudinem aliarum. Requiescat in pace, amen.

Item hoc anno, xvij februarii, reverendissimus in Christo pater ac dominus, dominus Libertus, episcopus Bericensis, suffraganeus domini Leodiensis, dedicavit in nova ecclesia nostra adhuc duo altaria, et posuit diem dedicationis eorumdem super dominica die ante Cathedram sancti Petri. Altare ad dexterum latus exeundo ecclesiam dedicatum est in honorem et memoriam gloriose Virginis Marie, Ursule, Katherine, Barbare et omnium sanctarum virginum; alterum vero in honorem et memoriam Johannis Baptiste, apostolorum Petri et Pauli, et omnium apostolorum et evangelistarum. Et quia, ut intelleximus, in dedicatione ecclesie anno preterito facta, episcopo minus legaliter provisum fuit, propinavimus eidem nunc pro laboribus suis xij renenses; item servitoribus suis xxvij stuferos. Et nota, quod cancelli lignei et duo altaria nunc dedicata, prout nunc posita sunt, secundum conceptum nostrum ita semper manebunt, nisi posteri nostri fortassis alterius efficiantur intentionis. Et casu quo ecclesia, que nunc est dimidia, posthac, divina aspirante misericordia, perficiatur, poterunt tunc collocari adhuc duo altaria in quolibet latere, unum ascendendo usque ad januam illam, in qua ligneum nunc positum est armarium, per quam tunc erit introitus et exitus sub oxali post chorum. In illa vero, per quam nunc fratres intrant et

exeunt, idem armarium tunc poterit collocari. Nota hoc diligenter pro futuro tempore.

*Nota* : Cum hoc anno post festum Pasche secundus rector, postea prior noster, esset in Hollandia, completum et perfectum fuit ciborium nostrum per manus magistri Henrici Johannis, aurificis Delphensis ; et recepit illud ad se, comportavitque ad conventum nostrum. Et diversi amici domus contribuerunt ad opus istud ; aliqui vero priores provincie nostre contribuerunt pro deauratione ejusdem operis. Et appendit totum opus vj cum dimidia marcas argenti cum una uncia<sup>1</sup> ; et qualibet uncia computata ad xxviiij stuferos, facit simul lxxiiij renenses ; pro deauratione vero sunt ibi xxx esterlinga, theutonice *engelchen min j aes*, quolibet esterlingo computato ad xvij stuferos ; facit simul xxv cum dimidio renenses.

Istud totum, tam in auro quam argento, per diversos amicos contributum est. Magister vero operis pro laboribus suis, et patrono, et diminutione argenti, simul habuit xxxiiij renenses. Item, adhuc pro reparatione, quia in via modicum in superiori parte confractum erat, exposuit ij renenses, xvj cum dimidio stuferos. Ex toto persolutum est summa valoris ciborii cxxxv renenses, vj cum dimidio stuferi. Vide in libro elemosinarum, qui ad hoc contribuerunt.

Item, hoc anno, in nundinis Antwerpiensibus, infra octavas Sacramenti, honestus vir Ghysbertus Gillis, mercator et magnus amicus domus, et cum fratre suo fundator ecclesie, pro completionem testamenti fratris sui Walteri Gillis emit pro domo ista unam preciosam et pulchram casulam cum omnibus suis attinentiis de rubra carbaso ; pro qua exposuit x libras Flandrie.

Item, eodem tempore idem emit pro summo altari unam preciosam et perfectam tabulam, que nunc ibidem stat ; pro qua exposuit xxv libras Flandrie. Et statim post confectus est

<sup>1</sup>) *Marca*, marc, moitié d'une livre ou huit onces.

pes sub tabula cum parva domuncula ad reponendum Venerabile Sacramentum, expensis ejusdem.

Item, eodem tempore addixit nobis unam campanam pro nova turri ecclesie ; que statim post fusa est Mechelinie per magistrum Symonem, de iij<sup>e</sup> et lxij libris ; pro qua exposuit pro quolibet centenario xij renenses. Et ascendit summa pro campana et laboribus ad pendendum simul ad l renenses. Ista fuit pensa sabbato ante dedicationem Lovaniensem per Wilhel mum De Cater, principalem carpentarium nostrum. Nichilominus xxvj augusti eadem campana consecrata fuit per curatum sancti Jacobi. Linguam vero campane, theutonice *de clepel*, dedit magister Walterus, faber ; restem vero dedit Bartholomeus de Zeeldrayer. Deus eis retribuatur in diebus novissimis.

Item, circa idem tempus posita fuerunt in ecclesia duo vitra in sinistro choro, conscripta per magistrum Henricum van Diependael, qui et cetera omnia vitra in ecclesia conscripsit ; quorum alterum, scilicet cum sancta Anna, donavit honesta matrona Wychmuet Zonneberch, de Daventria, mater uxoris predicti Ghysberti Gillis. Ad alterum vero dominus Johannes Fabri, sacerdos et canonicus ecclesie sancti Johannis in Leodio, contulit xvij renenses ; reliquum vero usque ad viij renenses solvit conventus.

Item, hoc anno, v augusti, fuit sepultus apud nos in parvo ambitu ad januam introitus in chorum honestus sacerdos Johannes Colet, quondam curatus. Tertia sepultura.

Hoc anno, vij augusti, que fuit dominica, reverendissimus in Christo pater ac dominus, magister Nycolaus de Ruthere, prepositus Lovaniensis, consecratus fuit in ecclesia sancti Petri Lovaniensis in episcopum Atrebatensem, et postera die ipsemet missam primam post consecrationem suam apud nos in summo altari celebravit, finitaque missa, addixit nobis, quod infallanter fundaturus ac donaturus esset hic unam cellam ; sed pro tunc

adhuc non posset propter maxima onera, que tunc habuit pro expeditione bullarum confirmationis sue<sup>1</sup>.

1) Nicolas Le Ruistre, évêque d'Arras, tint sa promesse; sa cellule fut construite en 1507; voyez ci-dessous p. 278. Nous lisons aussi de lui dans une notice encore inédite sur le collège d'Arras, dont il était le fondateur :

• Ante devastationem templorum et monasteriorum extabat in Carthusia Lovaniensi, in fenestra quadam, haec inscriptio, in ambitu :

• Siste gradum, quicumque iter hac facis, advena, cerne

• Et lege, si cupias noscere quantus eram,

• Ille ego Ruterus Nicolaus mysticus heros,

• Atrebatum antistes religiosus eram.

• Clarus et illustris Caesar ter maximus olim

• Quod secreti habuit, conscius ipse fui.

• Exemplo populum docui verboque potenti,

• Rectoris peragens obsequiosus onus.

• Saepius a caulis atrocem egi eminus hostem,

• Imbellis Argimore tutatus oves.

• Et mihi summa viros doctos efferre sacrosque

• Cura Deum et superos excoluisse fuit.

• Hanc cellam pro laude Dei, sed et Atrebatense

• Gymnasium struxi, Lovaniense decus.

• O pie Christe Deus, grandi qui victus amore,

• Vulnera, vincla, minas, flagra necemque subis :

• Pronus humi stratus Nicolaus flagito dona;

• Spiritus ascendat protinus astra meus.

• Hoc ordine aureis litteris incisa erant sequentia muroque infixata :

• Quae lavisse pedes, tersisse unxisseque sacros,

• O mulier, lachrymis crinibus atque rosa

• Diceris, officio redimens tua crimina pulchro,

• Membraque sic Domini contumulanda notans,

• Ruterio placidam pete, femina sancta, quietem,

• Cellam hanc qui magno fundat amore tibi.

• E regione hujus cellae posuit quatuor fenestras vitreas, pulcherrime historia et vita sancti Nicolai depictas, et in singulis ipsius symbolum :

ÆQUO ANIMO. •

L'évêque d'Arras est censé s'adresser, dans la deuxième pièce de vers, à sainte Marie Madeleine, patronne de la Chartreuse de Louvain.

Ces épitaphes sont extraites de l'ouvrage de SWERTIUS, *Monumenta sepulchralia ducatus Brabantiae*, pp. 239 et sv.

Obiit hoc anno in Hispania, xxij augusti, hoc est in vigilia sancti Bartholomei, apostoli, reverendissimus in Christo pater ac dominus magister Franciscus Busleydis, archiepiscopus Bizontinus et prius consultus illustrissimi Philippi, archiducis Austriae, Burgundie, etc. Hic cum profectus esset anno preterito cum predicto archiduce et multis aliis nobilibus patrie in Hispaniam, obiit ibidem die quo supra; sepultusque est in Toletum, in quodam monasterio ordinis sancti Bernardi. Hic fundavit et dotavit in conventu nostro unam cellam, scilicet cellam prioris; vide supra anno m<sup>o</sup>v<sup>o</sup>. Similiter fecit etiam in domo gratie extra Bruxellam<sup>1</sup>. Cujus anima requiescat in pace, amen.

Hoc anno, circa festum Symonis et Jude, advenit frater Arnoldus de Calcar, monachus professus domus Bruxelle, ad inhabitandum cellam pie memorie generose domine Katherine de Ranzen. Hoc enim addictum fuit executoribus ejusdem domine, quod, quam primum cella fuerit perfecta et reparata, sicut nunc clare apparet oculis, adveniret adhuc alius monachus ad inhabitandum eam et orandum pro ipsa fundatrice predicta. Et sic iste fuit quintus monachus; usque illud enim tempus fuimus quatuor.

Nota, quod hoc anno, prima decembris, Johannes Sallaken, cementarius et magister operis, cum sociis suis cepit fundare, nomine et expensis honesti viri Ghysberti Gillis, mercatoris, partem ambitus ad continuandum eundem a cella magistri Nycolai Dreysscher usque ad illam partem, quam ante quatuor annos primo fieri fecit ante cellam fratris sui. Pro quo opere destinavit in corde suo atque ordinavit e libras Flandrie; quodque futura estate per Dei gratiam complebitur. Quo completo, ambitus a predicta cella fratris sui usque ad januam, qua intratur in parvum ambitum, erit de bonis et expensis suis.

Idem eodem tempore misit nobis de Bergis per Henricum, servitorem nostrum, unum bonum equum pro curru nostro.

<sup>1</sup>) François Busleiden, archevêque de Besançon, fonda également une cellule pour un religieux à la Chartreuse de Scheut, près Bruxelles.



Hoc tempore casula de nigro damasco cum cruce de rubra carbaso provenit nobis ex parte magistri Cornelii Johannis, de Delf.

*Anno m<sup>o</sup> tertio.*

*Nota.* Cum hoc anno, in profesto Conversionis sancti Pauli, venisset ad nos honestus vir et maximus amicus et benefactor noster Ghysbertus Gillis, et cum fratre suo Waltero Gillis, pie memorie, fundator ecclesie nostre, apportavit nobis centum et v cum dimidio florenos aureos, qui valent c et xlix renenses cum duobus stuferis, procuratos nobis per eundem a quibusdam mercatoribus; quorum nomina, quia sciri noluerunt, scripta sint in libro vite. Et hoc in adjutorium multorum onerum, que anno preterito habuimus et adhuc pre manibus habemus in positione magne domus cum braxatorio, domo estiva et domuncula portarii, cum ceteris ibidem in domo inferiori. Noluitque (quamvis potuisset), quod eadem pecunia in opere suo proprio, scilicet in ambitu, qui tunc pre manibus erat, expenderetur; alias enim tradidisset eam ad manus Petri Coelkies, factoris nostri, qui omnem pecuniam, que nomine ejus ac fratris sui exposita est, recepit, sed magis in necessitatibus nostris. Idem Ghysbertus postmodum in nundinis Penthecostes misit nobis de Antwerpia unum valde bonum equum gratis pro curru nostro, valentem bene vij libras Flandrie.

Item, circa idem tempus conventus fratrum nostrorum extra Antwerpiam posuit nova et valde preciosa sedilia in choro. Et quia dictus honestus vir Ghysbertus Gillis, mercator et fundator ecclesie nostre, anno preterito donavit patri Arnolfo, priori Antwerpie, unum bonum equum, cum quo ascendit ad capitulum generale in Carthusia, idem prior redonavit eidem nomine conventus nostri antiqua sedilia. Venerabilis vero pater Gerardus, prior domus Delfensis, ut omnia commode et sine gravibus expensis fierent, commodavit nobis eodem tempore

fratrem suum Theodricum, conversum, virum religiose conversationis et valde edificativum, fabrum lignarium et artis illius bene peritum; qui eadem sedilia Antwerpie ab invicem segregavit ac deposuit, et iterum hic ad invicem congregavit ac reposuit, cum duobus scrinificibus sibi adjunctis. Pavimentum vero ligneum, quia vetustate penitus consumptum fuit, et forme<sup>1</sup> valde deformes et despicabiles apparuerunt, ex integro renovata fuerunt, sicut nunc clare oculis intuentium apparet. Mansitque idem frater Theodricus nobiscum usque ad finem marcii. Deinde reversus est ad propria. Cantavimusque eodem tempore ad laudem Dei primo primas Vesperas in utroque choro; quo etiam tempore ante quinque annos primus lapis in fundamento ecclesie positus fuit; vide supra. Dominus Deus retribuatur omnibus, qui consilium ac manus adjutrices ad idem opus porrexerunt, et precipue Ghysberto Gillis, cujus expensis omnia posita ac renovata fuerunt.

Item, hoc anno, vj aprilis, fuit sepultus apud nos primus in cimiterio Judocus de Alosto, pauper scolasticus pedagogii Porci. Requiescat in pace, amen. Et nota, quod cimiterium nostrum est divisum per duas vel tres arbores tilias, theutonice *lynden*; et ecclesiam versus est pro fratribus nostris, et ab alia parte pro laicis extraneis.

Item, circa idem tempus contulit ecclesie nostre domicella Elisabeth, uxor honesti viri Petri Colkies, factoris nostri, unam casulam cum omnibus suis attinentiis de nigro cameloto cum nigra cruce de flueto; item, unam longam mappam pro summo altari; item, unam bursam seu capsulam de rubra damasco cum uno precioso coopertorio seu, ut in seculo dicitur, custodi cum armis seu insigniis Crucifixi, et uno corporali.

Obiit hoc anno in Lovanio, in festo beate Marie Magdalene, patrone domus, honestus, grandevus et venerabilis vir dominus

<sup>1</sup>) *Forma*, forme, stalle.

Robertus de Monte, sacerdos Leodiensis dyocesis, maximus fautor et amicus hujus domus; sepultusque in eodem die vespere post cenam apud nos in magno ambitu, proximus ad januam nole. Hic, preter plura beneficia diversis temporibus et vicibus huic domui collata, sicut in libro elemosinarum clare patet, reliquit nobis adhuc in testamento suo circa xl renenses pro uno thuribulo argenteo faciendo. Et hoc nota, quod istud thuribulum pauco tempore post [completus] fuit in Delf ab Henrico Johannis, aurifce, qui etiam fecit ciborium nostrum. Et appendit quatuor marchas, quelibet vero marca valet xij renenses; summa xlvij renenses. Magister vero pro opere de qualibet marca habuit v renenses; summa pro toto thuribulo lxxvij renenses. Item, pro iij tricenariis pro eo celebrandis iij cum dimidio renenses. Item, pro iij pueris nostris, hoc est fratribus laycis tribus, xxx stuferos. Item, pro pitantia fratrum, in die exequiarum, septimo et tricesimo, ij renenses. Item, pro onere executionis rectoris j leonem aureum. Item, adhuc duas magnas tediferas et unum sedile pro camera hospitii. Hic etiam paucis diebus ante mortem suam, vocato ad se rectore domus, donavit eidem, presente procuratore, secreto, quod et noluit alicui revelari, unum parvum sacculum, in quo erant bene c et xxx renenses, rogans eundem casu, quo aliquid deficeret pro completionem testamenti sui, de istis ante omnia suppleret atque satisfaceret. Sed non fuit opus, quia supercreverunt bene de bonis executoris preter predicta ij<sup>e</sup> renenses, qui cesserunt piis locis in testamento suo institutis. Cujus anima requiescat in pace, amen.

Item, obiit hoc anno in Mechlinia, ipso die Clementis, martyris, illustrissima domina Margareta de Anglia, relicta quondam domini Caroli, ducis Burgundie, etc., honesta et religiosa valde matrona; cujus consilio et auxilio multa religiosa loca tam virorum quam mulierum reformata sunt. Hec fundavit et dotavit hic unam cellam cum ambitu suo, scilicet cellam procuratoris. Vide supra anno precedenti. Hec preterea con-

tulit multa beneficia diversis domibus ordinis nostri; sepultaque est Mechelinie apud Fratres Minores in ostio chori. Cujus anima requiescat in pace, amen.

*Anno m<sup>o</sup> quarto.*

*Nota* : Cum ipso die sancte Agathe esset apud nos honestus vir et mercator Ghysbertus Gillis, magnus amicus domus et cum fratre suo Waltero Gillis, pie memorie, fundator ecclesie nostre, preter plurima prius donata, reliquit adhuc sub Petro Coelkies, factore nostro, quinquaginta libras Flandrie, hoc est iii<sup>e</sup> renenses. Et hoc pro puteo magno in conventu inchoando, et pro porta et uno stabulo in domo inferiori ponendis. Intelleximusque, quod tunc temporis ipse et frater suus defunctus contulerunt huic domui bene sex millia renensium. Benedicantur a Domino.

Item, hoc anno, xix aprilis, circa horam xi noctis, presente rectore domus, obiit in Lovanio honestus vir Petrus Coelkies, de Antwerpia, magnus amicus ac benefactor, et indefessus coadjutor domus hujus; vir laudabilis vite et honeste valde conversationis; justus ac super omnia timens [Deum]; et bene dilectus ab omnibus, vir astutus in sensu et solers valde in omnibus negociis et domui huic in emptionibus necessariorum valde proficiuus. Cujus ingenio et prudentia ecclesia, prout est, et magnus ambitus cum parte parvi claustris, et complures celle, necnon edificia domus inferioris erecta sunt. Hic fuit nobis quasi murus a dextris et a sinistris. Hic septem fere annis servivit huic domui valde fideliter et omnino gratis, et solummodo propter eternam remunerationem; multosque labores pro nobis sustinuit. Omnis enim pecunia, que ex parte Walteri et Ghysberti Gillis, germanorum et fundatorum ecclesie, huic domui provenit, per manus ejus laudabiliter exposita est. Hic cum domicella Elizabeth, uxore sua, reliquit huic domui post mortem utriusque x renenses annue, super

domum inhabitationis sue in Borchstrata, pro anniversario utriusque, et pro lumine in nocte ante januam parvi ambitus, quando fratres venirent ad Matutinas; item, adhuc de bonis suis propriis ix renenses annue, quos quondam levare solebat in Antwerpia supra domum inhabitationis domini Johannis Cornelii, sacerdotis. Sed tempore mortis sue dequitati fuerunt; voluitque, quod eadem pecunia ad redditus iterum apponeretur. Quod et factum est. De quo vide in libro reddituum. Et hoc pro anniversario patris sui et matris, in profesto Mathie vel Conceptionis Virginis, sicut clare patet in ejus testamento. Item, donavit nobis in lecto egritudinis sue terciam partem precii, quod posset sibi provenire ex laboribus extraordinariis habitis in executione testamenti venerabilis viri magistri Conrardi de Sarto, pie memorie, apud nos sepulti. Fueruntque sibi assignati per reliquos executores xxv renenses semel; de quibus cesserunt nobis viij renenses cum xx placis Brabantie.

Hic sepultus est ante dictam januam, sicut ipse in vita sua pluries desideravit; petivitque uxor ejus in eodem sepeliri sepulchro, quandocumque Deo placuerit. Voluitque ibi fieri testudinem supra sepulchrum suum ad unam crucem cum uno vitro, et sculptura Crucifixi ex adverso vitri, cum lapide super sepulchrum, sicut aspicientibus nunc clare patet. Cujus anima requiescat in pace, amen.

*Petrus defunctus in propria persona loquitur :*

- " Ghedinet myns, heeren ende lieve vrinden,
- " Ick asche, die hier ligh beneden,
- " Was u knecht die u hier diende,
- " Tot desen ghestichte in tyts voerleden,
- " Ter ordinanche van alden wercken,
- " Van panden, cellen, reeften ende kerken.

Probi viri Petri Colkies, de Antwerpia, domus beate Marie

Magdalene sub Cruce in monte Calvarie, ordinis Carthusiensis, in Lovanio, amici integerrimi, ibique sepulti, epitaphion de-castichon. (Sepultus est enim ibidem in magno ambitu ad januam introitus in parvum claustrium. Postmodum vero ad aliquot annos adjuncta est domicella Elisabeth Zellers, alias Van Dieven, uxor sua, in eodem sepulchro. Requiescant in pace, amen).

Heus tu nosce tuam, mortalis homuncio, sortem.

Hic Petri Colkies pulvis et ossa jacent.

Seu cellas, seu sacra vides hec tecta sacelli,

Omne laboriferum sollicitavit opus.

Providus ad merces, opus ingeniosus ad omne,

Artificum calcar consiliumque fuit;

Prisca fides, amor et probitas, virtutis ymago

Vivida sub Colkies et stetit et cecidit.

Nunc, ubi mortali virtus dedit aurea vitam,

Dicite mortales : Vivit, an oppetiit?

Guilielmus Bibaucius, visitator provincie Theutonie, postea vero electus pater reverendus seu prior Carthusie edidit...<sup>1)</sup>

*De ultimo ingressu mulierum in conventum.*

Item, hoc anno, quia multe devote matrone oppidi Lovaniensis plurimum desideraverunt videre conventum nostrum, antequam totaliter per incorporationem (que hoc anno facta est) clauderetur, annuit nobis pater Martinus Adorne, prior Brugensis, principalis visitator provincie nostre, unum diem, quo omnes intrare possent et videre. Et sic elegimus quartum diem Penthecostes. Quo die omnes intraverunt in tanta multitudine, quod est mirum dictu. Obtulitque nobis domicella Van den Reel, honesta valde matrona, iij renenses, unum

<sup>1)</sup> Les mots *Eloquia pulchritudinis* ont été ajoutés au crayon par une main toute récente.

stufes; item, domicellus Wilhelmus Van Noerdinc cum domicella Maria, uxore sua, pro deauratione ymaginis Marie Magdalene tunc noviter facte xxx stufes. Oblatumque fuit a ceteris intrantibus usque ad vj renenses.

Item, sequenti feria quinta, circa horam x ante prandium, obiit Bruxelles morte valde subitanea illustris Engelbertus, dominus de Nassouwe. Deus misereatur anime ejus.

*Nota de incorporatione hujus domus et de institutione primi prioris.*

Item, hoc anno, ascendente venerabili patre Arnolde Helmont, priore domus Antwerpie et convisitatoe provincie nostre, ad capitulum generale, eodem petente ac procurante, domus hec ad laudem Dei ordini nostro incorporata fuit, ac domus beate Marie Magdalene sub Cruce in monte Calvarie nominata. Et frater Johannes Petri de Delf, monachus professus domus Delfensis, qui hanc novellam plantationem in multa tenuitate et laboribus plurimis decem fere annis valde laudabiliter rexit [fuit designatus ut primus prior domus nostre]. Descendens vero idem [Arnoldus], pater Antwerpie, pervenit ad domum vallis sancti...., ordinis nostri, ac infirmus [fac]tus, diem clausit extremum, ibique sepultus est<sup>1</sup>. Quo percepto, venerabilis pater Martinus Adorne, prior domus Brugensis et principalis visitator provincie, venit huc in vigilia octavarum Venerabilis Sacramenti cum multis prioribus et procuratoribus ordinis numero decem, et in octavis Sacramenti post cantatam a priore Monachorum<sup>2</sup> missam de Venerabili Sacramento cum commemoratione de sancto Spiritu, novus prior per

<sup>1</sup>) Il y a, dans ce passage de la *Chronique*, plusieurs omissions faites par le copiste du xv<sup>e</sup> siècle, auteur du manuscrit de la Bibliothèque royale. Nous avons tâché de rétablir le texte autant que cela a été possible.

<sup>2</sup>) *Domus Monachorum*, Monnikhuizen en Gueldre. Voyez VANDER AA, *Aardrijkskundig woordenboek*, VII, p. 1055.

predictum priorem Brugensem et priorem Delfensem in sedem prioris solemniter introductus fuit. Hunc fratrem Johannem, priorem, anno xv<sup>o</sup> capitulum generale fecit professum hujus domus, cum quo tempore incorporationis fuerunt adhuc quatuor fratres sacerdotes, quorum nomina immediate sequuntur. Statimque, misso nuntio, vocatus fuit et advenit frater Wilhelmus de Mechlinia, monachus professus domus Dystensis; et sic cum novo priore fuerunt sex monachi. Vocatus etiam fuit frater Lucas, conversus domus Bruxelles. Ad laudem omnipotentis Dei, qui est benedictus in secula.

Item hoc anno erecta et edificata fuit in parte septentrionali, proxime ad cellam magistri Symonis de Slusa, pie memorie, quondam prepositi Mecheliniensis, cella cum ambitu suo inscripta litera scilicet...<sup>1</sup>, nomine probi et honesti viri Adriani Van Helwigen, receptoris regis in Lovanio, hoc modo. Dequitavit enim a nobis viij cum dimidio renenses, quos levare consuevimus supra domum sue inhabitationis ex parte magistri Egidii de Platea, mediantibus c et lxxx renensibus. Et preterea dedit nobis adhuc c coronas communes. Et desideravit, quod eadem pecunia recepta ab eodem ex dequitatione predicta simul apponeretur pro edificatione unius celle cum pecunia sua; ipse preter ista adhuc satisfaceret carpentario, scilicet magistro Godefrido, de omni opere lignario; quod et fecit. Habuit enim xc renenses. Nos vero consilium habentes cum magistro nostro Adriano de Trajecto, tunc temporis decano ecclesie sancti Petri Lovaniensis, deinde post aliquot annos Pontificis Romani bene meriti, quod licite et secundum Deum hoc possemus facere, quia pecunia illa in principio inchoationis hujus domus assignata fuit, ut dicunt, per dictum magistrum Egidium de Platea pro erectione edificiorum domus; ad

<sup>1</sup>) La place est laissée en blanc. Molanus donne à cette cellule la lettre R.

vitandum tamen omnia inconvenientia, que possent oriri, quia sine licentia patrum non bene fieri posset, annuentes petitioni sue, quia domui valde utilis esse potest, et in multis sepe profuit, eandem pecuniam iterum ad redditus apposimus, sicut patet in libro reddituum, eodem anno sperantes nichilominus eandem summam pecunie apponere in edificio illius celle de gratia elemosinarum, quam Dominus Deus daturus est nobis. Quod et factum est. De expositis vero pro eadem cella, et quomodo fuerit reparata, et quomodo erexerimus ambitum quoad tres fenestras ante cellam dicti prepositi Mechliniensis, et quomodo instauraverimus murum ibidem, qui ante aliquot annos ceciderat, plene habes in libro rationum ejusdem celle dicti receptoris.

*Sequuntur modo ab initio incorporationis hujus domus venerabilium religiosorum fratrum nostrorum secundum annorum, mensium et dierum cursum ad ordinem receptiones, professiones, primitie, et ante omnia eorumdem nomina, ac cognomina, ac loca eorum natalicia.*

Anno Domini quo supra, ipso die Mauricii, finito prandio, fuit propositus et unanimiter receptus ad osculum magister Petrus de Aemsterdammis, promotus Lovanii in Castro, filius Martini cognomento Apothecarii. Hic fuit primus omnium nostrorum, in hoc sancta Dei domo ad laudem et honorem ejusdem investitus, scilicet 2<sup>a</sup> octobris, et anno sequenti eodem tempore professus. Hic celebravit primitias suas presentibus amicis suis et expensas egregie facientibus, anno xv<sup>o</sup>vij, xiiij junii, dominica die.

Item, xiiij octobris, in dominica die, finito prandio, fuit propositus et unanimiter receptus ad statum conversi et ad osculum Henricus de Heynsberg, qui servivit nobis fideliter fere vij annis ante incorporationem domus, sub bona spe future receptionis. Et xv ejusdem mensis fuit investitus, et anno sequenti professus.

Item, ipso die Briccii, frater Johannes de Lovanio, Vekestyl seu Blauwensteen, qui primus omnium (ut superius patet) fuit hic missus ante monasterii inchoationem et tunc vicarius primus domus, celebravit annum suum jubileum. Factumque est bonum prandium eodem die, diversis amicis domus contribuentibus omnia necessaria.

Item, ipso die sancte Katherine, virginis et martyris, fuit receptus ad statum donati ac investitus frater Henricus Danielis, de Brouwershaven in Zelandia; qui servivit nobis fideliter fere vij annis ante incorporationem domus sub bona spe future receptionis. Dominus bene vertat.

Item, ipso die sancti Andree, apostoli, finito prandio, fuit propositus fratribus et unanimiter receptus ad statum monachi et ad osculum Andreas de Aemsterdammis, eodem tempore visitans<sup>1</sup> in pedagogio Porci, filius domini Andree Aemsterdammensis. Hic ipso die beati Johannis, evangeliste, in natalibus fuit investitus, et anno sequenti, eodem die professus; et anno xv<sup>o</sup>ix, xvij junii, celebravit primitias suas. Iste frater Andreas fuit multo tempore laudabilis et hujus domus secundus sacrista.

*Anno m<sup>o</sup>o<sup>o</sup>o.*

Hoc anno, ipso die Anthonii, abbatis, finito prandio, fuit propositus fratribus et unanimiter receptus ad statum monachi et ad osculum Theodoricus de Eemste, viculo quodam prope Haerlem, tunc temporis visitans phalas<sup>2</sup> juristarum. Et in profesto Cathedre sancti Petri fuit investitus, que fuit...<sup>3</sup> feria ante dominicam *Oculi*. Et anno sequenti, eodem die, presentibus parentibus et amicis suis, solemniter fecit professionem; eodemque anno, in solemnitate Visitationis gloriose Virginis

<sup>1</sup>) *Visitans*, fréquentant les cours.

<sup>2</sup>) Il y a évidemment ici une erreur commise par le copiste du xv<sup>e</sup> siècle; il faut lire *scholas*.

<sup>3</sup>) La place du chiffre est laissée en blanc.

Marie, celebravit primitias suas. Hic etiam fuit bonus pictor, ac diligens formator et florator literarum industrius valde; posteaque multo tempore vicarius ejusdem domus ac novitiorum instructor, omnibus fratribus semper obsequiosissimus et verus pacis amator. Hic etiam habuit fratrem suum germanum, Johannem, sacerdotem, in eodem ordine et domo, de quo hic infra.

Item, anno quo supra, xvi julii, finitis Vesperis, fuit propositus fratribus et unanimiter receptus ad statum monachi et ad osculum dominus Amelricus de Bruxellis, sacerdos secularis, qui aliquo tempore servivit in ecclesia sancti Jacobi, apostoli, super Biest; et xxiiij ejusdem mensis, hoc est altera Marie Magdalene, fuit investitus, et anno sequenti professus.

Item, anno quo supra, altera Mauricii et sociorum ejus, post Vesperas propositus fuit fratribus et unanimiter receptus ad statum monachi et ad osculum Johannes Pavonis, de Aemsterdammis, filius domini Johannis Pavonis Aemsterdammensis. Et in die professionis dicti fratris Petri Apothecarii, de Aemsterdammis, fuit investitus scilicet, secunda octobris, et anno sequenti professus. Hic anno xv<sup>o</sup>vij, in die sancti Luce, evangeliste, celebravit primitias suas.

Item anno quo supra, in festo Clementis, martyris, quod accidit in dominica, in colloquio fuit propositus fratribus et unanimiter receptus ad statum monachi et ad osculum magister Wilhelmus Raveschot, filius Ludowici Raveschot, civis Lovaniensis, promotus Parisii et sacerdos; qui aliquo tempore servivit in ecclesia sancti Michaëlis Lovaniensis. Hic invenit gratiam coram domina Katherina van Oppendorp, relicta quondam domini Johannis van Beloys, militis. Cujus tunc cella fuit perfecta, et rogavit pro dicto magistro Wilhelmo, ut eam posset inhabitare; quod et factum fuit. Et providit sibi de omnibus necessariis suis, tam de vestibus quam utensilibus celle. Hic investitus fuit etiam ad petitionem dicte domine

ipso die Katherine, virginis et martyris. Et quia huic magistro Wilhelmo accidit, quod Dominus ait in Evangelio: *Hii sunt, qui ad tempus credunt, et in tempore temptationis recedunt*, idcirco anno sequenti, dominica die post festum Dyonisii, congregatis fratribus in capitulo, absolvimus dictum magistrum Wilhelmum a congregatione et consortio nostro, quia non recta via incedebat in observantiis ordinis et, ut ipse dicebat, rigorem ordinis in abstinentiis, et jejuniis, et in silentiis et celle observantia, servare non poterat. Et die sequenti rediit ad seculum.

Hoc anno generosa et nobilis domina Katherina Oppendorp, filia Johannis Oppendorp, civis Lovaniensis, relicta quondam domini Johannis de Beloys, militis, fundavit hic atque erexit unam cellam cum ambitu suo valde preciose, que processu temporis perfecta atque consummata fuit quoad omnia requisita sua. Et est proxima celle magistri Conrardi de Sarto. Onus vero istius celle habuit Nycolaus de Castro, hospes in *Albo Leone*, bonus fautor et amicus domus. De optima ejusdem donatione vide plane in libro reddituum. Litera huic celle inscripta est E.

Item, hoc anno, circa festum Anthonii, visitandi gratia fuit apud nos honestus vir et mercator Ghysbertus Gillis, cum fratre suo Waltero Gillis, pie memorie, defuncto fundator ecclesie nostre, deditque nobis in elemosynam undecim ducatos Hungarie, valentes xx renenses, ix stuferos, pro indigentibus nostris et necessariis coquine, et precipue ad emendum adhuc unam vaccam pro junioribus et noviciis fratribus nostris. Quod et factum fuit. Idem [misit] nobis de Bergis in nundinis Bergensibus post Pascha unum dimidium vas butiri, et cuilibet fratrum unum panem de sucaro usque ad xiiij. Item adhuc casu, quo frater Johannes de Leodio reciperetur apud nos in donatum, pro pitantiis fratrum dedit ij florenos Philippi. Sed recessit iste, et rediit ad conventum suum, ut nobis dixit se facturum eodem anno, circa festum Mauricii.

Idem, postquam convaluisset de valde magnis et multis infirmitatibus, misit nobis de Bergis circa octavas Visitationis Marie centum libras grossorum Flandrie, hoc est vi<sup>o</sup> renenses, ad opus camere hospicii et coquine ad statim inchoande. Que coquina statim fundari cepit, camera vero hospicii ante tres vel quatuor annos cum suo penore fundata fuit. Anno vero sequenti totum opus illud per Dei gratiam complebitur.

Idem misit nobis adhuc circa festum Mathei, apostoli, de Antwerpia unum bonum equum precipue pro lignis pro opere predicto et necessariis advehendis. Item, domicella Machtildis, uxor Ghysberti, dedit nobis in Adventu Domini j corbem ficorum et j corbem racemorum cum vj libris amigdarum; item adhuc j bonum pottum stanneum de xvij stuferis. Dominus Deus retribuat eisdem, quia valde bene meruerunt de nobis.

Item, domicella Maria Van Hasselt dedit nobis unam tabulam cum ymagine adorande Trinitatis et coronatione Virginis gloriose et quatuor angelis; que stat in capitulo.

Item, honesta domicella Margareta Custers, alias Van Haemborchk, de domo Bergensi, contulit huic domui in puram elemosinam pro prebenda unius monachi, et ad statim resignavit ex manibus suis coram notario et testibus, unum redditum de xxvj renensibus. Ista dotatio posita fuit super cellam magistri Nicolai Dreyser. Deus retribuat.

Item, hoc anno, vij octobris, generosus et nobilis dominus de Bergis donavit nobis coram villico et scabinis oppidi Lovaniensis vj bonaria cum iij jurnalibus terre arabilis, hic extra portam dictam *Groofportam* in diversis locis sita, sicut litera scabinalis bene declarat; quod tunc temporis habebat in pactu sive arendatione Johannes Paeps, colonus. Et valebant annue xiiij modios siliginis. Et hoc pro sustentatione unius monachi seu dotatione unius celle. Que dotatio assignata fuit supra cellam angularem et proximam ad cellam Walteri et

Ghysberti Gillis, fratrum, litera scilicet...<sup>1</sup>, qua tunc temporis servabatur refectorium nostrum, quam dedimus sibi. Petiitque humiliter orationes fieri pro se et statu suo et amicis suis. Benedicatur a Domino.

Preter predicta addixit nobis idem dominus in pecuniis ducentos renenses pro reparatione ejusdem celle et ambitus ante cellam, et adhuc ij<sup>o</sup> renenses ad complendum cameram hospitii cum coquina, que tunc temporis erat sub manibus. Alias edificasset novam cellam; sed ad informationem quorundam amicorum domus sic ordinavit, ut predictum est, quia hoc nobis magis utile et convenientius fuit. Predictam summam iij<sup>o</sup> renensium postmodum recepimus et ad opus suum, ut supra dicitur, exposuimus. Item, investiti fuimus in predictis septem jurnalibus feudalibus anno sequenti, xij augusti, Bruxelle in curia domini Bergensis, in presenti<sup>2</sup> domini van Berssele, locum tenentis feudorum, et virorum.

Item, anno Domini m<sup>o</sup>cccc<sup>o</sup>xxvij<sup>o</sup> pro meliori reparatione celle ejusdem et tabula ante cellam in ambitu dedit adhuc c et quinque renenses. Dominus Deus eidem retribuat in novissimis.

*Anno Domini xv<sup>o</sup> vj<sup>o</sup>.*

Hoc anno, xi junii, scilicet ipso die Barnabe, quo die tunc accidit festum Venerabilis Sacramenti, finito prandio, in colloquio fuit propositus et unanimiter receptus ad statum conversi et ad osculum Nycolaus Balkebreker, de Aemsterdammis. Hic, dispositis rebus suis, xi<sup>o</sup> julii, scilicet in octavis apostolorum Petri et Pauli, presente Henrico Opt Mere, de Aemsterdammis, magistro suo, cui multis annis servivit, investitus

<sup>1</sup>) Il existe quelques traces d'un V effacé.

<sup>2</sup>) Lisez *presentia* au lieu de *presenti*.

<sup>3</sup>) Il faut sans doute *vi* et non pas *xi*; car le dernier jour de l'octave des apôtres saints Pierre et Paul tombe le 6 juillet.

fuit. Iste anno sequenti, v<sup>ta</sup> maji, rigorem ordinis servare non valens, recessit a nobis et mitiori ordini se tradidit.

Hoc anno, ipso die sancti Laurentii, martyris, finito prandio, in colloquio propositus fuit fratribus et unanimiter ad statum monachi et ad osculum receptus Cornelius Fekerdey, de Aemsterdammis; cujus germanus ex parte patris eodem tempore, scilicet pater Lambertus, fuit prior Aemsterdammensis. Hic, dispositis rebus suis, xix augusti, videlicet in profesto Bernardi, ad honorem Dei investitus fuit; et, anno revoluto, eodem die fecit professionem. Hic etiam anno xv<sup>viiij</sup>, prima die octobris, celebravit primicias suas. Iste frater Cornelius postmodum germanum suum carnalem, Franciscum nomine, eciam secum traxit ad ordinem in hac domo. De quo vide infra. Hic etiam varia et longiturna egritudine laborans, in brevi explens tempora multa, per pondus egritudinis tandem pervenit ad somnum mortis anno xv<sup>exix</sup>, in principio anni, ipsa nocte Circumcisionis Domini. Requiescat in pace.

Item, obiit hoc anno Lovanii, vij marcii, venerabilis vir magister Johannes Moederloys, sacre pagine professor eximius, qui legavit nobis in testamento suo unum bonum calicem, quem ei dono dedit reverendissimus quondam in Christo pater ac dominus dominus Henricus de domo Bergensi, episcopus Cameracensis, sicut in pede ejusdem calicis inscriptum habetur; qui etiam pes, ut nobis postea relatum est, de cupro est. Idem magister noster paucis diebus ante mortem suam dedit nobis parvam tabulam opere plumario factam de Presentatione Jesu in templum.

Hoc anno erecta fuit cella honeste domicelle Katherine Pinnox, sororis quondam Ludovici Pinnox, multo tempore villici majoris oppidi Lovaniensis, relicte quondam domicelli Liberti Meldert, scilicet litera F, et valde legaliter expensis ejusdem domicelle cum ambitu suo, testudine, pavimento, vitris ceterisque attinentiis suis omnibus usque ad finem deducta;

quam et bonis redditibus dotavit. Obiit anno xv<sup>exiiij</sup>, in profesto Gregorii, pape, hec honesta et nobilis domicella.

Item, cum in majo hoc anno prior noster esset in Bergis apud Ghysbertum, patrem nostrum et fundatorem ecclesie nostre, dedit ei in primis unum bonum corbem racemorum; item, adhuc xxxiiij<sup>1</sup> vel v libras cere; item, unum integrum grossum pannum pro pueris nostris vestiendis. Item, modico tempore post misit nobis adhuc unum bonum equum pro necessariis nostris advehendis. Item, adhuc misit cuilibet fratrum unum panem sucari. Et domicella Machtildis, uxor ejus, misit nobis unam integram rubram sargiam pro ij cortinis ad summum altare. Item, misit nobis adhuc unum vas cum avellanis; item, unam cistam cum multis instrumentis scrinificum, quibus preteritis temporibus ipsemet cum fratre suo Waltero in oppido Brugensi<sup>2</sup> usus fuit. Erant enim aliquando illius artis; postea simul se dederunt ad mercantias, per quas ad magnas devenerunt divitias. Item, idem Ghysbertus commodavit nobis hoc anno, pro completionem hospicii et coquine, ad quod opus anno preterito inchoandum liberaliter donaverat c libras Flandrie, adhuc iiij<sup>c</sup> philippos, valentes v<sup>c</sup> renenses communes; sed hos v<sup>c</sup> renenses communes, cum idem Ghysbertus esset apud nos visitationis gratia anno x, circa principium augusti, remisit nobis pure propter Deum; ita quod nichil de eadem pecunia ad manus suas vel amicorum suorum unquam vellet pervenire; cum hac conditione tamen, quod de eadem pecunia ambitus, ubi adhuc est incompletus, quoad testudinem et pavementum successive perficeretur casu, quo per alios non fieret. Benedicatur a Domino.

Item, hoc anno, xvij maji, que fuit dominica Rogationum, nobilis dominus Jacobus de Croy, tunc temporis reverendis-

<sup>1</sup>) Il doit y avoir, avant le mot *vel*, une omission faite par celui qui a copié le document au xv<sup>e</sup> siècle.

<sup>2</sup>) Il y a encore, en cet endroit, une erreur commise par le copiste du xv<sup>e</sup> siècle. Au lieu de *Brugensi* il faut lire *Bergensi*.



simus in Christo pater dominus Cameracensis, consecratus fuit apud nos in episcopum Cameracensem per reverendissimos in Christo patres et dominos magistrum Nicolaum de Rutere, episcopum Atrebatensem et suffraganeum Cameracensem, qui fecit officium, et suffraganeum Coloniensem. Ex parte cujus recepimus tres philippos pro pitantiis fratrum preter vinum, quod nobis copiose ministravit ex curia sua. Remanseruntque apud nos, peracto officio, octo candele ceree, que libet unius libre, et due tede viij librarum. Benedicatur a Domino.

Item, hoc anno, sabbato quatuor temporum, in vigilia Mathei, apostoli et evangeliste, honestus vir Augustinus Opten Berch, civis Lovaniensis, viduus et bonus amicus domus, donavit nobis in elemosinam unum bonum calicem cum patena sua, totum argenteum et deauratum, cum ij urceolis seu ampullulis etiam argenteis, et uno corporali et coopertorio seu custodi de panno aurato. Hic obiit anno [mv<sup>e</sup>] viij in Lovanio, xxij junii, hoc est in die Corporis Christi; qui legavit huic domui in testamento suo vij renenses communes hereditarii redditus, etc. Requiescat in pace, amen.

*Anno xv<sup>e</sup>vij<sup>o</sup>.*

Hoc anno, ipso die Agnetis, virginis, simul recepti fuerunt ad statum donati, professionemque fecerunt frater Johannes de Leodio et frater Robertus de ....<sup>1</sup> Hic frater Johannes multo tempore servivit nobis; fuit enim bonus calcearius et laboriosus operarius in exterioribus rebus conventus; sed, quia prius professionem fecit in quadam abbacia ordinis sancti<sup>2</sup> apud Bergam juxta civitatem Niederbergensem, hic, impetrata licentia de abbate suo, sicut litera declarat, quam apportavit, rediit ad nos, et propter laudabilem conversationem suam et

<sup>1</sup>) La place du nom est restée en blanc.

<sup>2</sup>) Le nom du fondateur de l'ordre est passé dans le manuscrit.

multos labores, quos habuit, apud nos benigne et charitative die predicta receptus fuit. Et predictus Robertus multo tempore prius servivit nobis. Hic optimus cocus et sollicitus laborator fuit in officio coquine.

Hoc anno, xxix julii, post prandium in colloquio fuit propositus fratribus et unanimiter receptus ad statum monachi et ad osculum Henricus de Alemaria. Hic, dispositis rebus suis in oppido, tertia augusti ad honorem Dei fuit investitus; et, anno revoluto, eodem die fecit professionem. Hic obiit juvenis et dyaconus anno mv<sup>e</sup>x, vi mensis junii. Requiescat in pace, amen.

Hoc anno, in festo Bartholomei, apostoli, post prandium in colloquio fuit propositus fratribus et unanimiter receptus ad statum monachi et ad osculum magister Cornelius Theodrici, de Leydis, promotus Lovanii in pedagogio Castris. Hic, dispositis rebus suis hic in oppido, non enim post receptionem repetiit patriam suam, nec domum matris sue, sed statim altera Nativitatis Virginis Marie ad honorem Dei fuit investitus; et, anno revoluto, eodem die fecit professionem. Hic etiam celebravit primitias suas anno x, circa festum Barnabe, apostoli. Hic etiam dilectus Domini, in brevi explens tempora multa, non plenus dierum sed operibus bonis et virtuosus, obdormivit feliciter in Domino sacerdos, anno mv<sup>e</sup>xij, x maji. Requiescat in pace, amen.

Hoc anno, in festo Mychaëlis, archangeli, post prandium in colloquio fuit propositus fratribus et unanimiter receptus ad statum monachi et ad osculum Petrus Jacobi, cognomento Paneraes. Hic, dispositis rebus suis in patria, xxvij novembris ad honorem Dei fuit investitus; et, anno revoluto, eodem die fecit professionem. Hic anno xi celebravit primitias suas in festo Epyphanie Domini. Iste frater Petrus post aliquot annos, propter nimiam debilitatem suam, ad magnam instantiam magistri Brunonis, sacerdotis secularis, germani sui, adjuncta etiam supplicatione visitatoris provincie nostre, per capitulum

generale emissus est pro recuperatione sensuum suorum ad Aemstelredamum v vel vi mensium tempore. Sed, proch dolor! non perveniens ad finem sibi concessi temporis, diem clausit extremum; sepultusque est ibidem apud fratres nostros Carthusienses prope Aemsterdamis.

Item, cum circa dominicam *Reminiscere* prior noster esset Antwerpie in congregatione patrum, honestus vir Gobelinus Steegman, civis Antwerpiensis, mercator ac magnus amicus et benignus hospes noster, addixit nobis cum uxore sua hospicium domus sue, quoad vixerit. Dedit nobis in primis j corbem ficorum; item adhuc ij philippos ad emendum necessaria. Idem dedit nobis in nundinis Penthecostes j vas cervisie, vulgo *juypen bier*, sicut pluries superioribus annis fecit; et alias multas et magnas elemosinas contribuit sepius.

Item, ab eodem recepimus hoc anno diversis vicibus quingentos florenos aureos semel, constituentes vij<sup>e</sup> renenses communes, ad opus unius celle, litera scilicet H; que hoc anno fuit erecta et cooperta, quamvis nondum completa, simul cum cella reverendissimi in Christo patris ac domini magistri Nycolai de Rutere, episcopi Atrebatensis, litera scilicet G, que ultima est ad meridiem, et ista prima ad occidentem. Completa vero cella, quicquid supercrevit, apponetur ad redditum. Benedicantur a Domino.

Anno m<sup>o</sup>viiij<sup>o</sup>.

Item, hoc anno, circa Conversionem sancti Pauli, apostoli, honestus vir et mercator Ghysbertus Gillis, cum fratre suo fundator ecclesie nostre, misit nobis per Henricum, donatum nostrum, de Bergis, in primis cuilibet fratrum unum panem succari usque ad xij panes; item ij corbes ficorum, valentes v solidos, vj denarios; item unum corbem racemorum de lxxxv libris, c pro ix solidis vj denariis; item c et l libras stocvis, c pro iij cum dimidio renensibus. Item, eodem tempore Theodricus van Cuner, maritus domicelle Johanne, sororis Mach-

tildis, uxoris dicti Ghysberti, etiam dedit nobis l libras stocvis. Item, domicella Machtildis, dicti Ghysberti uxor, misit nobis circa festum Ascensionis pannum de albo damasco pro una casula fienda. Idem Ghysbertus statim post nundinas Penthecostes misit nobis unum bonum et preciosum equum, et in nundinis Bergensibus adhuc j corbem racemorum. Benedicantur a Domino.

Obiit hoc anno in Lovanio, circa principium maji, honestus vir Wilhelmus Bouchout, de Trajecto Inferiori, bonus amicus domus, qui multis annis donavit cuilibet religiose persone in Lovanio pro solemnitate paschali j waelpodium<sup>1</sup> vini renensis et j album panem. Requiescat in pace, amen. Audivi de isto Wilhelmo, quod habuerit quinquaginta proles; an verum sit nescio; de uxore sua nullas habuit. Sepultus fuit tempore (*sic*) ante ambonem in medio ecclesie apud fratres Augustinenses.

*Nota*: Hoc anno, circa finem junii, cum venisset ad nos visitandi gratia reverendissimus in Christo pater dominus Bernardinus cardinalis Seguntinus tituli sancte Crucis in Jerusalem et legatus de latere, concessit de plenaria Sedis Apostolice auctoritate cunctis Christi fidelibus locum hunc visitantibus et manus adjutrices porrigentibus bis in anno, videlicet in utroque festo Crucis, hoc est Inventionis et Exaltationis, septem annos indulgentiarum perpetuis futuris temporibus. Actum est hoc coram multis testibus in ambitu hujus monasterii juxta januam nole, die et anno, quibus supra.

Item, obiit in Lovanio, ipso die Crispini et Crispiniani, martyrum, honestus et doctus vir ac sacerdos, magister Johannes Allardi, de Helmont, bonus amicus domus et religiosorum amator, qui fratribus nostris sepissime solebat verbum exhor-

<sup>1</sup>) "Walpot, waelpot, dialectus Lovaniensis, eene pinte, halven pot; quasi diceretur Gallicum poculum, vulgo walpodium." KILIANUS, *Etymologicon*, vo Walpot.

tationis proponere, et eosdem exemplo honeste sue conversationis plurimum edificare. Hic legavit nobis in testamento suo domum sue inhabitationis cum quadam domo ibidem posteriore, pro sustentatione unius monachi et dotatione unius celle breviter edificande de bonis suis, litera scilicet I, sicut desideravit et magistro nostro Adriano, decano ecclesie collegiate sancti Petri Lovaniensis, postmodum Pontifici Romano, viva voce coram testibus indicavit, quamvis hec non habeantur in testamento suo.

Item, hoc anno fundata et erecta fuit cella cum ambitu suo expensis et nomine generose et illustris domine Magdalene, consortis nobilis domini Guilelmi de Servia, vulgo de Cyvers. Et est in parte aquilonari proxima ad cellam Adriani van Heylwigen, receptoris principis nostri, litera scilicet Q<sup>1</sup>.

*Anno m<sup>o</sup>v<sup>o</sup>xi<sup>o</sup>.*

Hoc anno, ipso die sancti Martini, episcopi, finito prandio, fuit propositus fratribus et unanimiter receptus ad statum monachi et ad osculum magister Theodricus, cognomento Persyn, de Aemsterdamis, promotus Lovanii in pedagogy Porci. Hic habuit in ordine patrum, doctorem in utroque jure, qui aliquando fuit prior domus Delfensis et convisitor provincie nostre. Idem habuit aliquando in eadem domo fratrem monachum et sacerdotem. Hic xvij novembris, hoc est in octavis sancti Martini, ad gloriam et honorem Dei fuit investitus, et anno sequenti, eodem die, fuit professus. Hic anno xv<sup>o</sup>xi, xxij junii, videlicet dominica die in octavis Venerabilis Sacramenti celebravit primitias suas, presentibus multis amicis suis et matre. Hic postea, anno xv, institutus fuit procurator. Quomodo vero hic pater Theodricus Persyn post patris Johannis Delphi, primi prioris domus, absolutionem fuerit electus in secundum priorem domus, vide plene in libro cartarum visitorum provincie, anno xv<sup>o</sup> xxv.

<sup>1</sup>) La lettre Q a été changée plus tard en R.

*Anno m<sup>o</sup>v<sup>o</sup>x<sup>o</sup>.*

Item, anno Domini quo supra, xi die aprilis, recepti fuerunt ad statum donati professionemque fecerunt frater Ludovicus de Lovanio, sartor, qui fere iij annis servivit nobis, et frater Cornelius Johannis, de Haerlem, etiam sartor.

Item, [anno] quo supra, xxi aprilis, ipsa dominica die, finito prandio, fuit propositus fratribus et unanimiter receptus ad statum monachi et ad osculum honestus vir et laudabilis conversationis magister Adrianus Boodt, de Brugis, promotus Parisiis. Hic, dispositis rebus suis, vi augusti, videlicet in die Sixti, pape, presentibus multis venerabilibus viris, ad gloriam et honorem Dei investitus fuit, et anno sequenti professus; anno vero xij ad honorem Dei celebravit primitias suas. Hic, paucis annis expletis in ordine, bono fine obdormivit in Domino, sacerdos Dei altissimi, magnus benefactor domus sue et plenus operibus bonis, anno xv<sup>o</sup>xiiij, xix aprilis. Requiescat in pace, amen.

Obiit hoc anno in Lovanio, xvij junii, honesta matrona et domicella Elizabeth Zeellers, alias van Dyeven, relicta quondam honesti viri et magni amici et benefactoris domus ac totius operis nostri principalis architecti Petri Coelkies, de Antwerpia, sepulti ante januam parvi ambitus ante vj annos; que simul cum marito suo in eodem sepulchro sepulta est.

Obiit hoc anno in Lovanio, prima julii, honestus et scientificus ac devotus vir, necnon et pauperum amator ac largifluus distributor, magister Johannes de Palude, de Antwerpia, bonus amicus et fautor domus, sepultus in die Visitationis Marie Virginis apud Fratres Minores, in loco capitulari, in habitu eorum. Qui legavit nobis in testamento suo ij renenses pro una pitantia; item adhuc v renenses pro negociis fratrum; item adhuc iij renenses hereditarii redditus pro intertentione lampadis in choro ante Venerabile Sacramentum. Hic etiam contulit nobis superioribus annis ad ciborium

tationis proponere, et eosdem exemplo honeste sue conversationis plurimum edificare. Hic legavit nobis in testamento suo domum sue inhabitationis cum quadam domo ibidem posteriore, pro sustentatione unius monachi et dotatione unius celle breviter edificande de bonis suis, litera scilicet I, sicut desideravit et magistro nostro Adriano, decano ecclesie collegiate sancti Petri Lovaniensis, postmodum Pontifici Romano, viva voce coram testibus indicavit, quamvis hec non habeantur in testamento suo.

Item, hoc anno fundata et erecta fuit cella cum ambitu suo expensis et nomine generose et illustris domine Magdalene, consortis nobilis domini Guilelmi de Servia, vulgo de Cyvers. Et est in parte aquilonari proxima ad cellam Adriani van Heylwigen, receptoris principis nostri, litera scilicet Q<sup>1</sup>.

*Anno m<sup>o</sup>v<sup>o</sup>ix<sup>o</sup>.*

Hoc anno, ipso die sancti Martini, episcopi, finito prandio, fuit propositus fratribus et unanimiter receptus ad statum monachi et ad osculum magister Theodricus, cognomento Persyn, de Aemsterdamis, promotus Lovanii in pedagagio Porci. Hic habuit in ordine patrum, doctorem in utroque jure, qui aliquando fuit prior domus Delfensis et convisitor provincie nostre. Idem habuit aliquando in eadem domo fratrem monachum et sacerdotem. Hic xvij novembris, hoc est in octavis sancti Martini, ad gloriam et honorem Dei fuit investitus, et anno sequenti, eodem die, fuit professus. Hic anno xv<sup>o</sup>xi, xxij junii, videlicet dominica die in octavis Venerabilis Sacramenti celebravit primitias suas, presentibus multis amicis suis et matre. Hic postea, anno xv, institutus fuit procurator. Quomodo vero hic pater Theodricus Persyn post patris Johannis Delphi, primi prioris domus, absolutionem fuerit electus in secundum priorem domus, vide plene in libro cartarum visitorum provincie, anno xv<sup>o</sup> xxv.

<sup>1</sup>) La lettre Q a été changée plus tard en R.

*Anno m<sup>o</sup>v<sup>o</sup>x<sup>o</sup>.*

Item, anno Domini quo supra, xi die aprilis, recepti fuerunt ad statum donati professionemque fecerunt frater Ludovicus de Lovanio, sartor, qui fere iij annis servivit nobis, et frater Cornelius Johannis, de Haerlem, etiam sartor.

Item, [anno] quo supra, xxi aprilis, ipsa dominica die, finito prandio, fuit propositus fratribus et unanimiter receptus ad statum monachi et ad osculum honestus vir et laudabilis conversationis magister Adrianus Boodt, de Brugis, promotus Parisiis. Hic, dispositis rebus suis, vi augusti, videlicet in die Sixti, pape, presentibus multis venerabilibus viris, ad gloriam et honorem Dei investitus fuit, et anno sequenti professus; anno vero xij ad honorem Dei celebravit primitias suas. Hic, paucis annis expletis in ordine, bono fine obdormivit in Domino, sacerdos Dei altissimi, magnus benefactor domus sue et plenus operibus bonis, anno xv<sup>o</sup>xiii, xix aprilis. Requiescat in pace, amen.

Obit hoc anno in Lovanio, xvij junii, honesta matrona et domicella Elizabeth Zeellers, alias van Dyeven, relicta quondam honesti viri et magni amici et benefactoris domus ac totius operis nostri principalis architecti Petri Coelkies, de Antwerpia, sepulti ante januam parvi ambitus ante vj annos; que simul cum marito suo in eodem sepulchro sepulta est.

Obit hoc anno in Lovanio, prima julii, honestus et scientificus ac devotus vir, necnon et pauperum amator ac largifluus distributor, magister Johannes de Palude, de Antwerpia, bonus amicus et fautor domus, sepultus in die Visitationis Marie Virginis apud Fratres Minores, in loco capitulari, in habitu eorum. Qui legavit nobis in testamento suo ij renenses pro una pitantia; item adhuc v renenses pro negociis fratrum; item adhuc iij renenses hereditarii redditus pro intertentione lampadis in choro ante Venerabile Sacramentum. Hic etiam contulit nobis superioribus annis ad ciborum

Venerabilis Sacramenti certam summam pecuniariam, scilicet x renenses semel; alia vice in pecunia aurea, sed non valuata neque justi ponderis j salucium, j coronam antiquam, j scutum Wilhelmi, iij florenos aureos, l climmers gulden seu Gelrie. Valeat quantum valere potest. Requiescat in pace, amen.

*Anno xv<sup>ci</sup>.*

Anno quo supra, die Vincentii, martyr, finito prandio, tempore colloquii fuit propositus fratribus et unanimiter receptus ad statum monachi et ad osculum honestus vir et laudabilis indolis, magister Johannes de Thymo, promotus Lovanii in pedagogio Lili, filius honesti viri Gerardi de Thymo, secretarii oppidi Lovaniensis. Hic, dispositis rebus suis, x<sup>a</sup> februarii, altera videlicet Appollonie, cum eadem die esset viginti annorum, presente prenominato patre suo et multis honestis et venerabilibus consanguineis suis aliisque amicis domus, ad gloriam et honorem Dei investitus fuit; et sequenti anno, eodem die, professionem fecit. Annoque xv<sup>cxv</sup> ad honorem Dei celebravit primitias in die sancti Johannis Baptiste. Huic etiam assignavit dictus Gerardus de Thymo, genitor suus, annue xx renenses vitalis pensionis cum quatuor annualibus renensibus et petia quadam vinee juxta portam vinearum. Hic importavit etiam aliquot bonos libros, magnos et parvos.

In primis, ipso die Circumcisionis Domini venerabilis dominus magister Leonardus de Zierixzea, canonicus ecclesie Zierixzee in Zelandia, et prepositus Namurcensis, bonus amicus, obtulit ecclesie nostre ad honorem Dei unam preciosam lampadem argenteam, pendentem semper in choro ante Venerabile Sacramentum, appendentem, ut dixit, xiiij uncias et iij esterlinga, uncia ad xxxvij stuferos computata. Benedicatur a Domino.

Obiit hoc anno in Lovanio, circa principium januarii, honestus dominus et sacerdos et miles Jherusolimitanus magister Henricus Houterle, de Turnout, scolasticus ecclesie collegiate sancti Petri Lovaniensis, bonus amicus domus. Hic

sepultus est in dicta ecclesia sancti Petri ante altare nominis Jesu. Hic instituit ante mortem suam septem pueros pauperes mendicantes, vulgo pueros sancti Petri dictos. Hic etiam instituit in morte sua iij bursas pro quatuor magistris in theologia studentibus in domo sua; quorum commissarios ordinavit decanum, curatum et scolasticum dicte ecclesie, et priorem istius domus pro tempore; qui singulis annis semel debent interesse computationi collegii; pro quo onere cuilibet legavit x stuferos. In die sepulture sue pro j pitantia fratrum ij petros semel [dedit]. Insuper legavit conventui nostro de bonis suis vj<sup>am</sup> partem omnium bonorum supercrescentium. Et recepimus diversis vicibus per manus probi viri Gerardi de Thymo, patris mei, unius executorum, xxx renenses; adhuc xlij renenses, xv stuferos, j oert; cxxxv renenses, xvij stuferos; adhuc xxij renenses, xvj stuferos; adhuc xij cum dimidio renenses; adhuc aliqua utensilia domus; adhuc lxiij cum dimidio renenses; adhuc xvij renenses, xv stuferos; adhuc xxv renenses, ij stuferos; adhuc xij renenses; adhuc xx renenses. Et hijs pecuniis fuit constructa domuncula mercenariorum ante coquinam. Requiescat in pace.

Item, obiit hoc anno, in profesto Agnetis, virginis, magister Gerardus de Bautzel, in legibus licentiatus.

*Anno xv<sup>cxi</sup>.*

Anno quo supra, xxvij die martii, que fuit dominica *Judica*, finito prandio, fuit propositus fratribus et unanimiter receptus ad statum monachi et ad osculum honestus vir et honeste vite ac laudabilis conversationis, magister Gerardus de Haerlem, promotus Lovanii in Artibus ante tres annos in pedagogio Castri. Hic, quia non petivit terminum, sed statim paratus fuit investiri, paucis diebus dispositus rebus suis, videlicet v aprilis, hoc est altera Ambrosii<sup>1</sup>, episcopi, et fuit secunda feria post festum Palmarum, ad Dei honorem investitus fuit;

<sup>1</sup>) Il faut lire *Isidori* au lieu de *Ambrosii*.

et anno sequenti, eodem die, presentibus multis honestioribus amicis suis, etiam matre cum sorore sua, fecit professionem suam. Anno eiam deinde sequenti, in festo Purificationis gloriose Virginis Marie, ad honorem Dei celebravit primitias suas. Hic preterea toto tempore, quo fuit in ordine, virili ac viva voce egregie semper laboravit sub divinis laudibus, nec unquam notatus fuit de aliqua somnolentia, sicut hoc plerisque contingit ex fragilitate humana.

Hoc anno, circa festum Assumptionis beate Marie, cum prior noster esset Aemsterdammis, honesta matrona Aleydis, uxor Zybrandi Buck, mater fratris Petri, nostri apothecarii, inter multas elemosinas, quas antea, nunc et postea sepius nobis contulit, dedit priori nostro tunc temporis unam bonam corrigiam argenteam deauratam, ad opus duarum tabularum pacis, vel unius calicis; que estimata fuit ad xx renenses. Sed vendita fuit non pluris xvij renenses. Simili modo honesta An[n]a Luytgens, mater confratris nostri, domini Johannis Pavonis, Aemsterdammensis, inter ceteras elemosinas, quas pro nobis sepius procuravit et sepius contribuit, dedit nobis hoc anno, circa festum Johannis Baptiste, xviii renenses ad opus predicatarum duarum tabularum pacis. Ex harum igitur duarum devotarum matrum elemosina conflata est una pulchra pacis tabula, ut patet in ejusdem subscriptione. Requiescant in sancta pace.

Anno xv<sup>o</sup>xviii<sup>o</sup>.

Anno quo supra, ipso die sancti Marci, evangeliste, finito prandio et lectione claustris, fuit propositus fratribus et unanimiter receptus ad statum monachi et ad osculum bonus et honestus juvenis Franciscus de Aemsterdammis, frater germanus ex matre confratris nostri Cornelii Fekerdey; qui fuit phisicus<sup>1</sup> in pedagio Porci. Hic, profectus Aemsterdammis ad

<sup>1</sup>) *Phisicus*, c'est-à-dire étudiant en physique. La physique était une des principales branches du cours de philosophie. Voyez *Analectes pour servir à l'hist. eccl. de la Belgique*, I, p. 379.

matrem et amicos suos, dispositus rebus suis, quinta die junii, que fuit dominica post octavas Sacramenti, presente priore Aemsterdammensi, ad gloriam et honorem Dei investitus fuit, et anno sequenti professus. Hic anno xv<sup>o</sup>xvj ad honorem Dei, ipso die sancti Michaëlis, celebravit primitias suas. Iste dictus frater Franciscus in visitatione ordinaria, anno Domini xv<sup>o</sup>xxvij facta, propter certas causas emissus fuit ad domum Aemsterdammis; annoque uno revoluto, ad magnam instantiam matris sue et amicorum suorum, interveniente consensu prioris nostri Lovaniensis, ibidem tunc temporis in domo sue matris usque ad mortem infirmantis, secundam ibidem professionem fecit, sumpta secum omni suppellectili sua, necnon multorum bonorum librorum, quos importavit, magna copia. Quod Deus bene vertat.

Anno quo supra, altera Visitationis Marie Virginis, que (Visitatio) accidit in sabbato, receptus fuit ad statum donati, professionemque fecit frater Albertus de Lubeca; expensasque fecit domicella Machtildis, uxor honesti viri Ghysberti Gillis, fundatoris ecclesie nostre.

Anno quo supra, in die Nativitatis Marie Virginis, finito prandio et lectione claustris, fuit propositus fratribus et unanimiter receptus ad statum monachi et ad osculum bonus et honestus clericus et quondam scolarium magister in ....<sup>1</sup>, ac virilis magnitudinis, Franciscus de Edammis, qui propter suam virilem magnitudinem a nobis appellatus est alter Goliath. Hic, petito termino usque ad festum Omnium Sanctorum, superveniente magna infirmitate, anno sequenti xxix marci, que fuit feria quarta post *Letare*, ad honorem Dei investitus fuit; et anno sequenti professionem fecit; celebravitque ad honorem Dei primitias suas anno xv<sup>o</sup>xvj, altera die Epyphanie Domini. Iste etiam postmodum bene tribus annis laudabiliter custodivit officium sacristie. Postea vero parvo tempore mutato seu absoluto primo priore domus, in ipsa electione novi prioris

<sup>1</sup>) Le nom est laissé en blanc.

per patres visitatores promotus fuit ad officium procuratoris; deinde electus est in vicarium domus monialium dive Anne prope Brugas. Habuit singularissimam gratiam sermocinandi.

*Anno xv<sup>c</sup>xviii<sup>j</sup>.*

Anno quo supra, xix aprilis, que fuit feria quarta Pasche, finito prandio et facta recordatione, fuit propositus fratribus et unanimiter receptus ad statum monachi et ad osculum bonus vir et laudabilis conversationis Henricus Rodulphi, de Buscoducis, multo tempore servitor magistri Ghysberti Waddinck, de Delf, procuratoris causarum.

Nota, quod eodem die post Completorium obiit charissimus confrater noster Adrianus de Boodt, de Brugis; cujus celle iste Henricus fuit secundus inhabitator, scilicet domine de Servia. Hic, dispositis rebus suis, viij maii, que fuit feria secunda post *Jubilate*, ad gloriam et honorem Dei investitus fuit, et anno sequenti professus; celebravitque primicias suas anno xv<sup>c</sup>xvj, ipso die Felicis in Pincis, confessoris. Iste etiam modico tempore fuit sacrista, deinde ordinatus in procuratorem; quod officium vix quatuor annis diligenter ac strenue exercens, consummatus in brevi, obdormivit feliciter in Domino anno Domini m<sup>o</sup>vcxxviii<sup>o</sup>, altera Bartholomei, apostoli. Requiescat in pace. Successitque ei in eodem officio confrater noster, frater Johannes Symonis de Emsthe, prope Haerlem, germanus fratris Theodrici, eodem tempore vicarii hujus domus.

*Anno xv<sup>c</sup>xv.*

Item, hoc anno, circa medium Quadragesime, probus vir Gerardus de Thymo, secretarius oppidi Lovaniensis, pater Johannis de Thymo, monachi et fratris nostri, assignavit nobis xxiii renenses vitalis pensionis ad vitam dicti fratris Johannis, filii sui. De quibus est copia literarum manu sua propria signata et scripta. Idem frater Johannes de Thymo in solemnitate sancti Johannis Baptiste, presentibus multis amicis suis, ad gloriam

Dei celebravit primitias suos. Eodem tempore honestus vir Henricus, cognomento Raveschot, civis Lovaniensis, bonus amicus suus, obtulit eidem unum bonum sed parvum calicem argenteum, deauratum; et hoc ratione multorum obsequiorum sibi prestitorum a predicto Gerardo in domo civium. Hunc calicem eodem tempore gratis consecravit reverendissimus in Christo pater et dominus, dominus Johannes de Witte, ordinis Predicatorum, episcopus Salubriensis, confessor sororum principis nostri Caroli et bonus amicus domus.

Obiit hoc anno in Lovanio, x<sup>a</sup> septembris, in monasterio beate Marie Virginis Parcensis, ordinis Premonstratensis, prope Lovanium, venerabilis pater et dominus, dominus Arnoldus Wyten, diligens abbas, multo tempore ejusdem monasterii religiosus valde pater et omnium religiosorum amator et benignus susceptor; qui multociens nobis bene fecit, et a principio inchoationis hujus domus usque nunc omni anno per servitorem suum semel aut bis nobis quinquaginta communiter bonas carpas [misit]; et valde benignum, et humanum, ac liberalem se exhibuit in receptione fratrum nostrorum, cum post susceptos sacros ordines ad eum declinarent. Propter quod etiam conventus contulit ei anniversarium perpetuum. Requiescat in pace, amen.

*Anno xv<sup>c</sup>xvi.*

*Nota* : Hoc anno, circa principium novembris, causa nostra cum generoso et nobili domino Henrico de Nassou, que multis annis pependit indecisa in lite, favente Domino et amicorum auxilio, precipue patris Guilielmi Bibaucii, prioris domus beate Marie, ordinis Carthusiensis, prope Montem sancte Gertrudis, principalis eodem tempore visitoris provincie nostre Theuthonie, postmodum prioris Carthusie, necnon magistri et domini Hieronymi Vander Noet, cancellarii Brabantie, et magistri Francisci Van der Hulst, cancellarie Brabantie consilarii; qui revisitando processum prope neglectum multum valde laborem

sibi assumpserunt. Bonum et gratiosum exitum ac finem sortita est. De modo vero concordie plene habetur in litera contractus inter dictum dominum de Nassou et nos initi. Deo gratias. Benedicanturque omnes a Domino, qui consilium et auxilium impenderunt, ut res ad illum finem deveniret.

*Anno Domini xv<sup>o</sup>xvij.*

Hoc anno, xj octobris, que fuit dies dominica, finito prandio et lectione claustrum, fuit propositus fratribus et receptus ad statum monachi et ad osculum honeste conversationis juvenis, studens in theologia, et bursam habens in collegio theologorum Lovanii, magister Johannes, filius Gabrielis Sartoris, civis Antwerpiensis. Hic, rebus suis dispositis, in profesto Martini, episcopi, presente patre suo et patruo domino Judoco, sacerdote et capellano ecclesie Nostre Domine in Antwerpia, investitus fuit. Hic circa octavas Epyphanie, anno sequenti, propter nimiam teneritudinem suam, rigorem ordinis amplius ferre non valens, accepta licentia cum gratiarum actione, recessit a nobis.

Anno quo supra, in festo sancti Martini, episcopi, receptus fuit ad statum donati professionemque fecit Johannes de Sus-teren, cognomento Hans, nepos fratris Henrici, conversi nostri. Qui Henricus multo tempore fideliter servivit domui; ejusdem favore receptus fuit. Hic non est insecutus vestigia avunculi sui, sed propter duriciam cordis sui et secularem conversationem, et rebellionem, hospite insalutato, declinavit ab ordine, abscissusque est ab ordine sine spe iterate receptionis in perpetuum. Cujus abscissionis exemplar et copiam invenies in libro cartharum patrum visitorum provincie nostre.

Item, hoc anno, circa festum Bavonis, fuit apud nos honesta matrona, Katherina Fekerdey, mater duorum fratrum nostrorum Cornelii et Francisci, de Aemsterdamis; que eodem tempore ministravit fratribus (sicut multociens fecit) largam gratiam, et dedit nobis unum parvum annulum aureum va-

lentem, ut dixit, circa vj renenses vel vij; et inde confecta est pixis argentea pro panibus hostiarum reponendis. Et, quia dictus annulus ad confectionem pixidis non sufficiebat, addidit in pecunia fere quatuor renenses. Benedicatur a Domino.

Item hoc anno, circa principium octobris, honesta domicella Aleydis Maritous, vidua civis Lovaniensis, domicilium habens in platea Fratrum Minorum, transportavit nobis unum redditum de xxv renensibus hereditariis, quem sibi ratione emptionis acquisivit ad et supra certas domos Antwerpie, expressas in litera scabinali desuper confecta, quam etiam eodem tempore nobis tradidit. Et hoc pro dotatione unius celle nomine ejus per Dei gratiam anno sequenti edificande, litera scilicet....<sup>1</sup>. Pro cujus edificatione in primis addixit nobis v<sup>o</sup> renenses semel; sed pro illa summa non tenebimur ad testudinem, pavementum et vitra in ambitu, secundum conventionem inter nos factam.

*Anno xv<sup>o</sup>xvij.*

Anno quo supra, feria 3<sup>a</sup> Pasche, que fuit vj aprilis, finito prandio, facta recordatione, fuit propositus fratribus et unanimiter receptus ad statum monachi et ad osculum honestus juvenis, clericus Anthonius de Winghe, filius honesti et boni viri Nycholai de Winghe, lanii, civis Lovaniensis; cujus uxor, Maria nomine, mulier certe inter ceteras mulieres Lovanienses magne honestatis et sanctitatis et ordini valde devota, et huic domui in principio sue foundationis in suendo casulas ecclesie nostre et reparando alia necessaria domus valde obsequiosa, omnia gratis prestitit. Hic, dispositis rebus suis, altera Marci, evangeliste, presente patre carnali, ad honorem Dei investitus fuit, et anno sequenti eodem die professus. Anno vero xv<sup>o</sup>xxij, quarta die Pasche, que accidit in festo divi Georgii, martyris,

<sup>1</sup>) La place de la lettre est laissée en blanc. Molanus donne à cette cellule la lettre P.



idem confrater noster Anthonius, presentibus patre, fratribus et aliis multis suis amicis, ad honorem Dei celebravit primitias suas; feceruntque parentes ejus gratiosas expensas invitatis, refeceruntque conventum in piscibus et vino ad duos dies. Benedicantur a Domino.

Obiit hoc anno in Lovanio, xiiij die mensis maii, que tunc fuit dies gloriose Ascensionis Domini, honestus vir, Artium magister, Ghysbertus Waddinck, de Delf, oppido insigni Hollandie, procurator causarum strenuus et religiosorum amator precipuus, magnus amicus et cordialis fautor domus hujus, qui ab initio inchoationis istius conventus fuit indefessus coadjutor in choro, et in causis conventus defendendis valde sollicitus. Hic die sequenti sepultus fuit apud nos in parvo choro ante altare gloriose Virginis Marie satis profunde, quod uxor sua Alberta Aleydis tempore suo poterit cum eodem in eodem sepulchro sepeliri. De legatis vero suis huic domui factis, et anniversariis quater in anno celebrandis, et fratrum pitantiis, vide in libro elemosinarum. Fecit fieri unum cyphum argenteum xij unciarum vel circiter, ex quo fratres layci dicti Carthusienses in Lovanio post communionem ablutionem sumere possint ad eum finem, ut ipsi fratres post hujusmodi communionem sui memores sint et pro eo ac anime sue salute orent, dum biberint dicentes : *Requiescat in pace.* Et ipsi fratres presentes suos successores semper ad hoc admoneant et requirant. Postmodum Aleydis, uxor sua, dictum cyphum fecit deaurari; pro qua deauratione exposuit circa x vel xj renenses.

Obiit hoc anno in Lovanio, xxvij die mensis novembris, sabbato prime dominice Adventus, venerandus vir magister Johannes de Hoya, Gandensis, Artium magister et sacre pagine professor eximius; die vero dominica sequenti sepultus fuit in choro nostro ad latus magistri Conrardi de Sarto; bonus amicus et magnus benefactor hujus domus. De elemosina sua huic domui facta vide in libro elemosinarum. Requiescat in pace, amen.

Hoc anno, vj die mensis augusti, honestus vir, magister Thomas de Zwanenburch, presbiter et canonicus ecclesie in Geervliet, transportavit ac donatione inter vivos irrevocabili donavit conventui nostro in presentia curie Hollandie, tamen post mortem suam, xxiiij libras grossorum Flandrie hereditarii redditus supra omnia bona sua mobilia et immobilia, qualibet libra ad xvj libras consimiles estimata; videlicet decem libras grossorum pro sustentatione duorum monachorum, et x libras pro pauperibus ante portam; reliquas vero iij libras grossorum pro dispositione sua in testamento suo declaranda et exprimenda. Nobis adhuc deest valde benefecit in testamento suo, quod alio in loco expressius habetur, et qualiter construximus duas cellas nomine suo: prima est litera scilicet O<sup>1</sup>, que fundata et erecta fuit et completa anno sequenti cum suis attinentiis. Secunda vero, litera scilicet N<sup>2</sup>, anno xv<sup>o</sup>xxviiij<sup>o</sup>, xxiiij die mensis maii, incepta fuit, et hoc anno completa. Benedicatur a Domino et oretur cordialiter pro eo, quia est donatio valde magna. Requiescat in pace. Obiit anno xv<sup>o</sup>xxiiij, xxij mensis maii, in Hollandia, in Haga Comitum. Requiescat in pace, amen.

*Anno xv<sup>o</sup>xix.*

Anno quo supra, vj die marcii, que fuit dominica Quinquagesime, finito prandio et lectione claustrum, fuit propositus fratribus et unanimiter receptus ad statum monachi et ad osculum honestus juvenis, magister Theodricus Johannis, alias Vustinck, de Trajecto, hoc anno in pedagogio Porci seu Standonico in Artibus promotus et non mediocriter in artibus humanitatis eruditus, egregius scriptor et bonus versificator. Hic, dispositis rebus suis per totam Quadragesimam, secunda die mensis maii, presente Johanne, aurifabro, patre suo carnali,

<sup>1</sup>) La lettre O a été changée plus tard en P.

<sup>2</sup>) La lettre N a été changée plus tard en O.

ad gloriam Dei investitus fuit, et anno sequenti eodem die professus. Hunc etiam quidam honestus vir, civis Aemsterdamensis, nomine Arnoldus Boelens, deduxit usque ad magistrum, fecitque expensas gratiosas in investitione sua, providitque ei satis abundanter de omnibus necessariis ad cellam requisitis. Hic etiam dictus confrater noster Theodricus Johannis ad honorem Dei celebravit primicias suas anno xv<sup>e</sup>xxij, dominica die post festum Jacobi, que fuit xxvj julii. Dictus vero Arnoldus Boelens, avunculus suus, qui eum nutrierat ab ineunte sua etate et quasi adoptaverat eum sibi in filium, cum non haberet alias proles, fecit expensas in omnibus actibus suis.

Anno quo supra, xij die mensis marcii, que fuit dominica prima Quadragesime, finito prandio et lectione claustrii, fuit propositus fratribus et unanimiter receptus ad statum monachi et ad osculum bonus et honestus juvenis et subdiaconus, claris parentibus ortus, Hieronymus cognomento de Diest, de Mechlinia, filius domini Arnoldi, nominati viri in Mechlinia et militis. Hic, paucis diebus dispositis rebus suis, prevenit socium suum, dictum magistrum Theodricum, fuitque investitus ad gloriam Dei xvj die mensis marcii, videlicet in profesto sancte Gertrudis, virginis, et anno sequenti eodem die professus. Item dictus confrater noster Hieronymus anno xv<sup>e</sup>xxj, in vigilia Johannis Baptiste, que accidit in dominica, presentibus parentibus et ceteris amicis suis, ad honorem Dei celebravit primitias suas. Feceruntque parentes ejus gratiosas expensas conventui.

Reverendissimus in Christo dominus Guillelmus, cardinalis, archiepiscopus Toletanus, episcopus Cameracensis et abbas Affligimensis<sup>1</sup> fuit apud nos in die Palmarum, in Missa et in

<sup>1</sup>) Guillaume de Croy embrassa la vie religieuse à l'abbaye d'Affligem, dont il devint abbé en 1516, âgé de dix-huit ans. La même année, il fut élevé au siège épiscopal de Cambrai. L'année suivante, il devint archevêque de Tolède, primat d'Espagne, et, le 2 avril de la même année, il

Vesperis; fecitque egregium et permagnificum apud nos prandium, propinavitque conventui in abundantia pisces et vinum; et omnia fratribus administrabantur in argento in refectorio. Circa idem tempus reformavit abbatiam suam Affligimensem.

Obiit Lovanii vj die mensis maii, et vesperi fuit apud nos sepultus in choro nobilis et generosus dominus, dominus Judocus Absaloens, civis Lovaniensis et miles in armis, dominus fundi istius loci seu conventus, qui fuit ei semper feudalis. Et de voluntate sua ante mortem suam sepius declarata et de consensu uxoris sue et heredum dicti Judoci, fuit fundus absolutus ab illa servitute et onere in perpetuum. Et notandum, quod dictum feudum fundi nostri Karolus, rex catholicus Hispaniarum, circa finem octobris amortizavit et a dicta servitute absolvit, et fecit fundum censualem. Itaque pro interesse suo conventus solvet sibi annue tres capones; et inde habemus literas patentes cum magno sigillo ipsius regis.

Item hoc anno, circa dominicam *Cantate*<sup>1</sup>, fuit apud nos visitandi gratia honesta matrona Johanna, mater confratris nostri Gerardi de Haerlem, cum filia sua Sybilla. Propinavitque mater conventui semel largam pitantiam in piscibus et vino, filia vero semel gratiam vini. Eodemque tempore mater apportavit blavium damascum pro pulpito in choro et antependio unius altaris, prout dictus frater noster Gerardus in testamento suo ante professionem suam ordinaverat.

Aliud antependium ante summum altare et ante lectorium

fut créé par Léon X cardinal du titre de *Santa-Maria-in-Aquirio*. A toutes ces dignités, l'empereur Charles-Quint, roi d'Espagne, ajouta encore la charge de chancelier de Castille. Mais ces honneurs furent de courte durée; car s'étant rendu à la diète de Worms, et étant allé à la chasse monté sur un cheval fougueux, il fit une chute, dont il mourut le 6 janvier 1521, à l'âge de 23 ans. Son corps fut enterré au couvent des Célestins à Héverlé près de Louvain, où sa famille lui érigea un magnifique mausolée.

<sup>1</sup>) Le dimanche *Cantate* est le quatrième dimanche après Pâques.

Evangelii de blavio damasco provenit ex parte confratris nostri Adriani de Booet, Brugensis, defuncti.

Item hoc anno, feria sexta, altera Nativitatis gloriose Virginis Marie, generosus et nobilis dominus et comes, dominus Henricus, dominus de Nassouw, cum magistro Hieronymo Vander Noot, cancellario Brabantie, et quibusdam aliis dominis de concilio, veniens de Diest fecit apud nos prandium suum. Oppidum vero Lovaniense propinavit ei abundanter vinum, videlicet renense et belnense<sup>1</sup>; finitoque prandio, profectus est Bruxellam, fecitque nobis die sequenti dari per magistrum hospitii xv renenses communes. Benedicatur a Domino cum familia sua, amen.

Obiit hoc anno apud nos, in profesto divi Lamberti, martyris, venerabilis pater dominus Eustatius de Sancto Trudone, prior domus montis Syon, ordinis Carthusiensis, prope Zericxee, monachus professus domus Diestensis et aliquando procurator ejusdem domus. Sepultusque est in cimiterio nostro ad latus confratris nostri Cornelii Fekerdey, Aemsterdammensis. Requiescat in pace.

Item hoc anno, altera Katherine, virginis et martyris, sabbato videlicet prime dominice Adventus, frater Johannes Delphus, primus prior domus, dedicavit novam campanam, cum jam vetus campana rupta esset; que appendit iij<sup>o</sup> libras et unam. Commutatione autem facta ad campanam nostram antiquam, que appendebat iii<sup>o</sup> et lxij libras, venerunt nobis in adjutorium lxi libre. Et sic preter hoc addidimus adhuc in toto v renenses communes.

Hoc anno conventus acquisivit scutellam sive discum argenteum pro *Lavabo* ad manus sacerdotis in altari. Ad quod opus pater Johannes Delphus, primus prior domus hujus, contulit unam bonam patheram argenteam, quam habuit ratione

<sup>1</sup>) *Vinum belnense*, en flamand *beanenwyn*, c'est-à-dire *vin de Beaune* ou de *Bourgogne*.

executionis testamenti venerandi magistri nostri, magistri Johannis de Hoya, apud nos sepulti. Reliquum vero contulit honesta et nobis valde affectuosa matrona Katherina Fekerdey, mater confratris nostri Francisci Petri, de Aemsterdammis.

*Anno xv<sup>o</sup>xx.*

Anno quo supra, xxix die mensis maii, que fuit feria secunda Penthecostes, fuit fratribus propositus et unanimiter receptus ad statum monachi et ad osculum magister Johannes Symonis, filius honesti viri Symonis Nicholai, in Femstede prope Haerlem, Lovanii in pedagogio Standonico in Artibus promotus, germanus fratris Theodrici, eodem et multo tempore vicarii hujus domus. Hic, paucis diebus dispositis rebus suis, decima die mensis junii, presente Symone, patre suo carnali, que fuit profestum Barnabe, apostoli, ad gloriam Dei investitus fuit, et anno sequenti eodem die professus; et anno xxij, in solempnitate beati Johannis Baptiste, celebravit ad honorem Dei primicias suas, matre sua tunc Lovanii existente, quia pater suus hoc anno defunctus est, faciente conventui honestas expensas in piscibus et vino. Hic etiam habuit artem florandi seu pingendi, quemadmodum et germanus suus Theodricus. Hic etiam successit fratri Henrico Rudolphi, de Buscoducis, procuratori defuncto, in officio procurature.

Hoc anno obiit, viij die januarii, vespere satis tarde, que fuit dies dominica infra octavas Epyphanie Domini, venerandus magister noster, magister Johannes Atensis, cognomento Bryaert, sacre pagine professor eximius, ecclesie collegiate sancti Petri Lovaniensis et Academie Lovaniensis vicecancellarius, caput et senior facultatis theologie, semper amicus et fautor istius domus. Sepultusque fuit die martis ante prandium, ante cellam procuratoris, in eodem sepulchro cum patre suo, anno xv<sup>o</sup>xxij ibidem sepulto. Facultas vero theologie, presentibus omnibus magistris nostris et multis licentiatis et baccalauriis

sacre pagine, in die sancte Agnetis, virginis, fecit hic per nos celebrari solemnes exequias pro defuncto. Habueruntque simul gratiosum prandium, propinantes etiam conventui gratiam vini. Requiescat in pace, amen.

Hoc anno, xiiij die mensis julii, in Delf obiit modesta matrona Katherina, filia Petri Franconis, uxor Gerardi Nycolai van Bleyswyck, soror charissima primi prioris nostri. Que multis annis fidele servitium nostro conventui prestitit emendo butirum, caseum, salmonem ceteraque necessaria nostra. Insuper legavit conventui nostro centum renenses communes semel; item adhuc vij libras grossorum Flandrie ad opus unius calicis pro conventu nostro; item unam pulchram casulam cum omnibus attinentiis suis. Requiescat in pace, amen.

Item, die dominico infra octavas Omnium Sanctorum magister Lucas de Thymo, filius Gerardi de Thymo, secretarii multo tempore oppidi Lovaniensis, et germanus confratris nostri Johannis de Thymo, monachi, celebravit ad honorem Dei primitias suas in Sancto Petro, in summo. Ex parte cujus habuimus largam gratiam in piscibus et vino: primo die vino scilicet dicto ypocras<sup>1</sup>, secundo die vino renensi et belnensi tantum. Simili modo in nuptiis trium filiarum ejus habuimus. Benedicantur a Domino.

Item hoc anno, circa principium decembris, honestus vir et sacerdos ac bonus amicus domus, magister Andreas Ysbrandi, de Aemsterdammis, donavit conventui nostro unam magnam et bonam cistam, et seris et clausuris bene munitam, pro rebus et clenodiis ecclesie fideliter reponendis et custodiendis.

*Anno xv<sup>o</sup>xvi.*

Obiit hoc anno, xxvij maii, in superioribus partibus Almannie, generosus et nobilis dominus, dominus Willermus de

<sup>1</sup>) *L'ypocras* était une boisson fort en usage autrefois, faite avec du vin, du sucre, de la cannelle, du gingembre, des clous de girofle et divers autres ingrédients.

Chervia, dominus temporalis multorum dominiorum, sollicitus gubernator Caroli, principis nostri, regis catholici, imperatoris Romanorum.

Nota, quod hoc anno, in festo Exaltationis sancte Crucis, pro primo comedit conventus in novo refectorio.

Obiit etiam hoc anno in Lovanio, altera Lucie, virginis, honestus et grandevus vir, magister Egidius Heyms, sacerdos et capellanus sancti Petri Lovaniensis, multo tempore magnus fautor ordinis et benefactor hujus domus. Hic legavit nobis v renenses annui census; item unum parvum calicem. Requiescat in pace.

Item hoc anno venerabilis pater Guillelmus Bibaucius, prior domus Hollandie, principalis visitator provincie nostre, electus est in priorem Carthusie unanimiter, maximus fautor hujus domus.

*Anno xv<sup>o</sup>xxij.*

Obiit hoc anno, xiiij die mensis marcii, Bergis supra Zomam honestus vir et mercator Ghysbertus Gillis, de Buscoducis, cum fratre suo Waltero Gillis, anno xiiii<sup>o</sup>xcvij defuncto, magnus benefactor domus hujus. In primis enim fundaverunt, erexerunt cellam unam cum ambitu suo et dotaverunt eandem. Item fundaverunt et erexerunt ecclesiam ex toto, sicuti nunc est, cum omnibus suis necessariis, cum testudine, turri, campana, summo altari, preciosa casula et requisitis suis, ponderoso calice, pulchro missali. Item erexit adhuc Ghysbertus solus magnam partem ambitus ante ecclesiam; item fere totam domum hospitii cum coquina, etc. Longum esset hic omnia scribere; superius enim scripta sunt. Hic sepultus est Bergis, apud Fratres Minores, in eodem sepulchro cum fratre suo Waltero Gillis. Solet tamen dicere, quod jaceret apud nos in magno ambitu ante portam, qua intramus et eximus cum curru. Requiescant in pace, amen. Domicella Machtildis, de Daventria, relicta defuncti, dedit pro gratia fratrum unum angelotum.

Hoc anno obiit in Lovanio, xv die mensis octobris, honesta matrona Alberta Aleydis, Delfensis, relicta vidua pie memorie magistri Gysberti Waddinc, cum marito sepulta in eodem sepulcro; magna benefactrix hujus domus. Inter cetera, que nobis legavit, legavit nobis in testamento suo sex argenteos cyatos, vulgo *crusibilia*, ad opus unius tabule pacis cum ymagine sancte Trinitatis. Ad quod opus ante aliquot annos Aleydis Jacobi, mater confratris Petri, nostri apotecarii, et An[n]a Luytgens, mater confratris nostri Johannis Pavonis, solverunt similiter aliam tabulam pacis. Vide supra. De aliis legatis hujus bone mulieris, vide in libro elemosinarum. Requiescat in pace, amen.

*Anno xv<sup>o</sup>xxiij.*

Nota de oleo olivarum fratribus in Quadragesima ministrando sciendum est, quod pater reverendus Guilelmus Bibaucius concessit fratribus, quod residuum possint per annum reservare in cellis suis, non obstante statuto.

Hoc anno, circa octavas Sacramenti, honesta matrona Katherina Fekerdey, de Aemsterdammis, vidua, mater confratris nostri Francisci Petri, propinavit conventui largam gratiam, sicut sepius superioribus annis fecit. Insuper eodem tempore addixit nobis xxx stuferos annui redditus, denario ad xvij consimiles estimato, ad emendum oleum olivarum, singulis annis, distribuendum monachis et conversis pro Adventu et Quadragesima, prout pecunia se extendere poterit, et persone plures aut pauciores fuerint, necnon et oleum carum vel levioris precii fuerit. Et ad constituendum dictum redditum dedit ad bonum computum circa xvj renenses communes, reliquum perfectura quam primum. Postea perfecit; et apposita fuit tota pecunia hoc anno ad bona Judoci Claes, latomi.

*Anno xv<sup>o</sup>xxiiij.*

Huc usque acta et omnia superius commemorata contigerunt

tempore officii venerabilis patris Johannis Delphi, primi prioris hujus domus; cui propter senium et nimiam debilitatem suam, cum hanc novellam plantationem triginta annis laudabiliter satis rexisset, ab officio prioratus ad magnam instantiam suam absoluto, successit in regimine prioratus venerabilis pater Theodricus Persyn, de Aemsterdammis, eodem tempore absolutus ab officio procuratoris. Deus bene vertat.